

**Opera Varia**

**Noris, Enrico**

**Lugduni, 1707**

Accessere Somnia quinquaginta Fr. Macedo in itinerario Sancti Augustini  
post Baptismum Mediolano Romam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](#)

SOMNIA QUINQUAGINTA  
**F. MACEDO**  
IN ITINERARIO  
SANCTI AUGUSTINI  
Post Baptismum Mediolano Romam,

*Excutebat levi brachio*

**P. FULGENTIUS FOSSEUS**  
Augustinianus Sac. Theol. Profeslor.

*Ad Reverendissimum ac Sapientissimum Patrem*

**D. JOHANNEM MABILLON**  
Congregat. S. Mauri Ord. S. Benedicti.

*Somnia exollunt imprudentes. Eccles. 34. 1.*



ГОДИА ГУНДАГІА  
**МАСЕДОНІЯ**

Іоанн Патріарх  
САНКТ-АUGUSTINI

П. ФЛІГЕНТИС ФОССЕІС  
Англійські Св. Трієтії

Д. ІОАННЕМ МАРІІОН  
Софіїсес С. Марії Ольги Бенедікті



*Ad Eruditissimum, ac Sapientissimum Virum*

# P. D. JOHANNEM MABILLON MONACHUM BENEDICTINUM.

## P R A E F A T I O.



Ereor ne in publica commoda peccare velle videar, cum te, V.C. gravioribus studiis occupatum ad ludicrum quoddam cum larvis certamen spectandum invitum; imo in eodem etiam temet judicem postulem. Ingens tuorum sodalium, quos inter princeps haberis, erga S. Augustinum cultus, atque in ejusdem Patris voluminibus emendatissimis typis recudendis labor ac diligenter jure suo poscunt, ut recens editi Hodceporici Augustiniani fabulam tibi exponam. Franciscus Macedo secundissimus librorum Author, de mysterio Incarnationis Tomum singularēm (non ob doctrinam prorsus non vulgarem, sed quod unicus eo de argumento est) in lucem nuper emisit; adiectā ad calcem prolixiori disputatione contrā monachatum S. Augustini, cum appendice nescio cuius somniati Itinerarii Augustiniani. Porro oppido factum est, ut una simu Hodceporicon Ambrosii Camaldulensis ab eruditissimo tuique nominis studiosissimo Antonio Magliabecu ad amicum in Galliam transmissum, ac Hodceporicon Augustinianum à Macedo descriptum apud Lugdunensem Bibliopolam repererim. Illud autem ab eodem doctissimi Maglisbeci amico, mutuò acceptum, hoc verò alterum parvi emptum sedulò evolvi. Equidem in Itinerario Ambrosii tantus ubique verborum nitor, tam exacta locorum descriptio, tantus sententiarum splendor eluet, ut Authoris sui nomen ac famam ampleat, & augeat. At in Itinerario à Macedo concinnato passim & ubique fictas fabulas, splendida mendacia, ac penè immensam somniorum secum invicem concursantium catervam offendi, ita ut in eo monstroso Itinerario describendo non modò extra orbitas vagetur, verum etiam tota planè viâ praecepis aberret. Hic homo, quo neminem gloriosem videoas, in potestrem eius voluminis versibus ait: *Quid autem de Augustino tam subtiliter & accuratè tractaverim, is meus mos est & verus & sanctus, quem delebat de Augustino & memini, & loqui imo & pro consuetudine somniare, qua mea summa & singularis voluppeas est, nec me puder fateri.* Itaque quo eidem somniatam de Augustino voluptatem etiam atque etiam intendam, ejusdem Itinerarii vestigia relegens, singula in eodem de Augustino somnia somniata recitabo, ac novum faciam, ut in veteri comœdia est, homini volupe. Tantus est meus erga Augustinum amor, ut agrè feram quidpiam, quod Augustinum attinet, vel minimâ etiam somniorum labo obscurari. Interim, Vir doctissime, ocu-  
lo: manumque à magnis Annalibus, quibus præclaræ gentis facinora ad seros posteros immortalibus scriptis transmittis, prærumpere abstineas precor, nec mihi illa Martialis carmina reponas:

Llib. 9. Nobis non licet esse tam curiosos,  
Qui Musas colimus severiores.

Fateor me audacie ac temeritati proximum fieri, qui scriptori vigilantissimo somniorum examen imponam. At scito me in hac somniorum consultatione pro Au-

gustinianâ historiâ vigilasse, ut annum præsertim baptismi S. Augustini clavo trabali figerem, quæta nemo possit refigere. Papæ, inquis, quæm grandia ac cothurnata verba loqueris! Ut aliquam tibi legendi curiositatem injiciam, ampullor. Augustiniani ad te commendandum, inter se, ut Terentii verbis utar in Phormione, omnes congruunt. *Unum cognoris, omnes noris.*

## FRANCISCUS MACEDO.

In Collatione IX. de Incarnatione, differentia II. in fine cap. 7. pag. 724. col. 2. huncce titulum ponit.

## I T I N E R A R I U M

*Augustini post Baptismum Mediolano Romam.*

Quanti, inquit, sit hoc momenti ad institutum nostrum confirmandum, facile quivis diligens Lector agnoverit. Nam si Augustinus statim post baptismum profectus est Mediolano Romam, & recta eo, ac eodem anno, imo & mense quam discessit, peruenit: rucat omnes illæ machine Pisaniarum digressionum, & Centumcellis comorationum, &c. Itaque danda est opera & quidem magna, ut constet quanam ratione illud iter suscepit, imerit, confecerit.

## S O M N I U M L

Initio quidem arbitrabar operâ & quidem magnâ abs te Augustini iter describi, ut Antonini, & Rutiglii Numinationi Itinerariis non parva fieri posset accessio. Cùm Cicero legatus ad Antonium Mutinam ob-sidentem à Senatu dectinatus fuisset, nullas sibi eò vias testabatur: *Tres, inquiens, ut dixi: à supremo mari Flaminio; ab infero Aurelia; media Cassia.* Agedum tam magnâ operâ indicabis, quâ viâ Augustinus Roman redierit. Num Aureliâ, vel potius Flaminia iter illud habuerit. An quid ille ac socii Afri erant, formidata olim Italia Annibalis vestigia securi, Apennini juga secantes, in Etruriam descenderunt, ut inde viâ Cassia Romam, aut ad Ostia Tiberina contendarent? Numerabis socios itineris Monicam matrem cum puero Adeodato, Alipio & Evodio, quibus fortassis etiam addes Licentium, Trigetium, Lastidium, ac Rusticum, quos conterraneos contubernales tum Mediolani, tum in secessu Cassicio Augustinus nuper habuerat. Narrabis num rhedâ, vel equo, iter confecerint; ad quas mansiones diverterint; apud quos hospitati fuerint, ac cetera denique exequeris, que operam & quidem magnam deceant. Nihil tamen horum recitas, sed ais Augustinum die octava Aprilis A. 388. Mediolani baptizatum, ac statim inde profectum ad Ostia Tiberina pervenisse die vigesima Aprilis consumptis in itinere diebus duodecim omnino necessariis ad illud iter prolixum conficiendum. Hoc Hodceporicon Augustini est operâ & quidem magnâ tibi descriptum; cùm tamen non iter, quod magno hiato promiseras, sed itineris tempus narraveris. Sed qualelibet

# Quinquaginta Somnia

## S O M N I U M III.

libet titulum inscriperis, quid in Itinerario elucubrando magnam operam jactas, qui ex Gabrieli Pennoni historiâ Tripartita totum illud iter exscriperis? Is enim cum lib. 1. cap. 4. num. 6. dixisset Augustinum A. 388. die octava Aprilis Mediolani baptizatum, quæ Echo fidei pariter recantasti, ait: *Obitum B. Monice in quartum diem mensis Maii reiciunt, ex quibus si dies tredicim detrahbas, quibus illa ante obitum suum ad Ostia Tiberina venit, oportebit illam saltrem die 20. Aprilis in Ostiis Tiberini fuisse.* Hæc ille ante sex & quinquaginta annos scribebat, ut *Tisanas digressiones, ac Centumcellis commemorationes rejiceret.* Itane operam & quidem magnum tuo illi Itinerario concinnando abs te positam jactas, qui totius itineris rationem ex Pennoni volumine in tuum transflustisti, nisi tibi qui in hujusce tomis frontispieio XXXXX. Librorum auctor inscriberis, magna opera videatur, paucos è Pennoti historia versus exscribere. Hæc magna opera, qua sane nulla est, primum tuum somnum sit. At scitè Cicero lib. 2. de divinat. ait: *Nihil est magnum somnianti.* Hanc tamen tuam *magnam operam somniato.*

## M A C E D O.

Pag.  
725.  
vol. I.

**P**rimùm statuendus est annus ætatis, quo fuit baptizatus Augustinus. Is plaus est indubitus, scilicet annus trigesimus tertius inchoatus ipsiis Idibus Novemb. idest die 13. eius mensis, qui dies eius Natalis anniversarius erat, quemadmodum ipse scribit libro de beata vita disput. primæ diei: Idibus, inquit, Novembri mihi Natalis dies erat. Quod autem ille annus esse 33. Augustini, testatur ipsum et lib. 3. contra Academicos, quos eo tempore dictabat rure Cassiaco: sed cum trigesimum & tertium ætatis annum agam: iisdem nempe Idibus, idest 13. Novembri.

## S O M N I U M II.

**I**n ipso Itinerarii limine offendisti. Malum omen. Annus trigesimus tertius ætatis Augustini, cum Baptismum suscepit, est indubitus. At dubium est, num idem annus fuerit completus, vel tantum inchoatus. Baronius ad Ann. 388. & Rivius lib. 1. de vita Augustini cap. 1. §. 26. 27. & 29. aliisque contendunt S. Doctorem aquis salutaribus ablutum anno ætatis trigesimo tertio completo. Tu vero somnias esse indubitatum, quod apud insigiles scriptores falsum est, apud alios ad huc sub lite. Hinc ad gravissimam controversiam tollendas, nec gr̄a, nec gr̄y reponis; cum tamen in hac una totius difficultatis cardo versetur Nec satis est quod tu quinquaginta tomorum Auctōr secus opineris, opinio enim fallax est in somnum, inquit vetus Scholastes Niceta ad orat. 43. Nazianzeni. Quid autem hac de re sentiendum videatur, ad somnum proximum exponam.

## M A C E D O.

Ibidem

**N**am omnes eos libros contra Academicos tres; de Ordine duos, unum de Vita beata, Soliloquiorum duos, eodem loco continenter, imò & simul intervallo disparibus composuit, quemadmodum narrat lib. 1. Retract. cap. 2. ubi rursum affirmat diem 13. Novembri suum esse Natalem. Hunc autem baptismi in suum annum 33. incidisse, quem inchoavit, iterum scribit lib. 1. soliloquiorum cap. 19. (repone 10.) Nam cum, inquit, trigesima tres annos agam. Quod opus simul cum aliis, & inter alia quinque proxime numerata, in eodem agro composuisse dicit lib. 1. Retract. cap. 4.

**Q**uid hic somnias præter opus Soliloquiorum, alia quinque proxime numerata Augustino rure Cassiaco elucubrata? Laudasti præter Soliloquia, opus contrâ Academicos, opus de Ordine, opus deinde de vita beatâ. Hac S. Doctoris opera cū recte tria in digitis numeraveris, cur in isdem versibus in quinque multiplicantur? Reponas ergo: *inter alia, tria, proxime numerata, &c.* At rursum repetis annum 33. inchoatum, nec rem dubiam probas, qui passim invicta & irrefragabilia argumenta jactare soles. Ipse tamen tuas partes implebo. Augustinus in processio de vita beatâ ait: *Ego ab usque undevicesimo anno atatis meæ, postquam in scholas Retherum librum illum Ciceronem, qui Hortensius vocatur accepi, tanto amore philosophiae & sensus sum, ut Platonem ad eam me transferre meditarer.* Hæc ille scribebat Idibus Novembri die suo Natali. Idem postea scripsit libros duos de Ordine, in quorum altero cap. 1. ait: *Interpositis deinde pauculis diebus, venit Alpinus, & ex ore sole clarissimo, invitavit cœli nitor, & quantum in illis locis hyeme poterat, blanda temporis in pratum descendere.* Itaque illo liber scriptus fuit jam incumbente hyeme. Postrem opus Soliloquiorum ibidem composuit, ac in duo volumina distinxit, in quorum primo cap. 10. ait: *Nam cum trigesima tres annos agam, quatuordecim ferè anni sunt sex quo ista cupere destiti, nec aliud quicquam in his, si quo casu offerrentur præter necessarium rursum, liberalerumque usum cogitavi.* Proorsus mibi unus Ciceronis liber facilimē persuasit, nullo modo appetendas esse dīvitias, &c. Ex utriusque testimonii collatione non obscurè colligitur Augustinum Idibus Novembri anni proxime elapsi, inchoasse annum tertium supra trigesimum. Nam ab anno undevicesimo, quo primùm Ciceronis Hortensem legit, ad annum 34. labentem, intersunt anni integri ac completi quatuordecim. Cum vero S. Doctor annos numeret quatuordecim fere, quidpiam sane temporis ad annos xiv. complendos dōfuisse significat. Augustino excute Februario, de agro Mediolanensi reverso in urbem, Soliloquia imperfetta remanserant. Lib. 1. Retract. cap. 3. Qui tempus designans lib. 9. Confess. cap. 6. ait, *Iude ubi tempus advenit, quo me nonen dat oportet, relitto rure, Mediolanum remetravimus.* Catechumeni baptismum proxime suscepimus, nomen Episcopo, coram populo, in foribus Ecclesiæ dabant die quadragesimo antequam baptizarentur, ex Epistola Siricii ad Elmerium Tarragonensem cap. 2. quæ Epistola data est A. 385. Bautone consule, cui Augustinus Mediolani Kal. Januarii, quibus Consul processit, panegyrim recitavit.

## M A C E D O.

*Supereft nunc ostendere eodemmet anno 33. fuisse Romam ad Ostia Tiberina.* Primo ponit lib. 1. Retract. cap. 5. *scilicet iam esse baptizatus Roma unum scriptissime librum de moribus Ecclesiæ, & alterum de moribus Manichaeorum, lib. 8. Confess. (repone lib. 9.) cap. 8. narrat se cum sociis pariter Romam in Africam removere.* Eundem annum illum esse 33. sua ætatis tradit lib. 9. Confess. cap. 11. commemorans de morte Monica matris: Ergo die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo & sexto ætatis suæ, trigesimo & tertio ætatis meæ, anima illa religiosa & pia corpore soluta est. *Quarto Maii de currentis anni 33. semestri nondum completo, erat Ostia, & iusta solvit Matri.* Quid evidenter?

SOM.

## S O M N I U M IV.

**D**um dicas Augustinum eodem anno 33. fuisse Romæ ad Ostia Tiberina, videris somniare Ostia Tiberina fuisse publicam a iquam ædem, vel forum in urbe. Nam passim legimus: *Roma ad Ursulum pilaatum: Roma ad forum Trajani, &c.* At Ostia Tiberina ex Antonini Itinerario distabant Româ M.P.XVI. Potes *retus & severus Poëta*, uti temet venditas pag. 718.col. 1. cum Satyrico in bicipiti somniis se *Parnassio*; at monströsè somniis Ostia Tiberina intrâ urbem locando. Duabus literulis, e, ac t, inlatis, ubi primum vigilaveris, periodum restitue: *Roma & ad Ostia Tiberina*. Erine hæc correctio opera & quidem magna?

## S O M N I U M V.

**P**ræterea scribis Augustinum jam baptizatum: *Roma unum scriptisse librum de moribus Ecclesiæ, & alterum de moribus Manichaorum, & eundem narrare: Se cum sociis pariter Româ in Africam remeare; ac cùm Ostiam venisset, matrem Monicam extinctam, quanto Maii. Hic tuum Itinerarium appello, in quo scribis Augustinum cum matre Mediolano die 9. Aprilis Ann. 388. profectum, ad Ostia Tiberina pervenisse die 20. Aprilis consumptis in innere diebus duodecim omnino necessariis ad illud iter prolixum conficiendum. Pag. 726. col. 1. Quæso te, num putas necessarios etiam aliquos dies ad duos illos libros componendos, quos narras Romæ ab Augustino scriptos priusquam Româ in Africam remearet? Uterque liber in editione Lugdunensi Ann. 1586. constat ex paginis fermè tredecim, in quarum singulis leguntur versus 284. Demus & ipsum Augustinum operam & quidem magnam utriusque libri scriptiori impedisse, ita ut quotidie currenti calamo, versus octingentos ac quinquaginta duos exaraverit, vix intrâ quadriduum duodecim paginas scriptisset. Rursus al tera insuper dies impensa est itineri Româ ad Ostia Tiberina, quòd cum 20. Aprilis, te deductore, pervenerit, Romanum ingressus fuerat die xv. Aprilis, postquam die 9. ejudem mensis Mediolano discessit. Cum verò iter Mediolano Româ viâ Aureliâ, quæ ea atate cæterarum erat brevissima, fuerit M. P. 454. Augustinus intrâ septem dies illud iter emensus, supra sexaginta quinque milliaria, (iter primæ diei M. P. 64. fecisset) singulis diebus consecserat. Tabellarii qui mutatis subinde equis, literas Mediolano Romanum deferunt, diu non stante cursantes, sexto die iter conficiunt.*

## S O M N I U M VI.

**D**enique in paucissimis illis verbis, tertium tibi somnus obrepit, dum ait Augustinum narrare: *Se cum sociis pariter Româ in Africam remeare. Hæc ille, cùm narrasset se Mediolani baptizatum fuisse, ac Evodium in suum contubernium venisse scribit: Quærebamus quisnam locus nos habebet utilius, serpientes tibi, pariter remeabamus in Africam. Et cùm apud Ostia Tiberina essemus, mater defuncta est. Nulla hic, quam somnias, Roma nominatur. Et sanè si Mediolano restâ Romam venerunt, duodecim tantum dies itineri conficiendo neutiquam sufficiebant, ut ad Ostia etiam Tiberina pervenirent. Consule Itinerarium Antonini, & intelliges Româ Derthonam usque viâ Aureliâ iter fuisse M. P. 408. Derthona Mediolanum numerantur M. P. 46. Ita Româ Mediolanum M. P. 454. Hæc millaria divide per 12. habebis singulis diebus M. P. 38. minus duobus una die. Ita Augustinus, & quod te decet considerare, Monica mater*

propior sexagenariae; tam magnis itineribus Mediolano profecti, die duodecimā Romam pervenissent. At remanet aliud iter Româ Ostiam, cui si diem decimum tertium assignas, tota Itinerarii tui machina operâ & quidem magnâ constructa, labascit ac corruit; nisi enim die 20. Aprilis Ostiam pervenerint, Itinerarii ab Augustino descripti, ratio, ut putas, non constat. Itaque Augustinus Mediolano discedens recto itinere Ostiam viâ Aureliâ pervenit, in Africam transmissurus. Scribit lib. 9. Confess. cap. 10. se unâ cum matre in ecstasim raptum, illuc apud Ostia Tiberina, ubi remoti à turbis, post longi itineris labore, instaurabamus nos navigationi. At si ante Roma commoratus, iter postea Ostiam M. P. xvi. fecisset, minus recte, immo falso longi itineris laborum dixisset. Illum verò Romæ, antequam in Africam transmitteret, commoratum, patet ex lib. 1. Retract. cap. 7. ubi ait: Jam baptizatus autem cùm Roma essem, nec ferre tacitus possem Manichaorum jactantiam, &c. scripsi duos libros, unum de Moribus Ecclesiæ Catholicae; alterum de Moribus Manichaorum. Et cap. 9. Cùm adhuc inquit, Roma demoraremur, narrans se in urbe scriptisse librum primum de libero arbitrio. Ex his colligo Augustinum cum Monicâ matre, ac sociis Mediolano rectâ ad Ostia Tiberina profectum; ubi matre defunctâ, mutato navigandi in Africam consilio, Romanum se contulit, ac ibidem aliquot menses moratus, plures libros elucubravit.

## M A C E D O.

**N**on modo uno & eodem anno, sed uno ac eodem mente confecit iter, idest Aprili. Rem ad calculos exiliter revocemus. Gratum hoc exit Lectori. Omnia sunt apud Augustinum, ipse Itinerarium exhibebit. Relegamus pœficiam.

## S O M N I U M VII.

**S**omnias, cùm dicas, omnia esse apud Augustinum, cùm verè pronuntias: *Omnia sunt apud Pennorum ipse Itinerarium exhibebit.* Unius Pennoti vestigia relegisti, qui olim hocce Itinerarium tibi præformaverat. Hæc ille scribit lib. 1. Hist. Tripart. cap. 5. num. 2. Rursus sequitur quod eodem mense Aprilis, in quo fuit baptizatus, fuit etiam apud Ostia Tiberina in Africam reditus, quia B. Monica obiit die 4. Maii, sed illa fuit in Ostiis Tiberinis saltem diebus tredecim priusquam ex hac vita migraret, ergo circa diem 21. Aprilis eisdem scilicet mensis, in quo B. Augustinus fuerat baptizatus, in Ostiis Tiberinis consisterant. Cur ergo hujusce Itinerarii auctorem Augustinum producis, cùm unius Pennoti manu descriptum fuerit, ac à Petro Campensi, Thomâ Herrera, & Aloysio Torello solidissimè refutatum, ita ut vix quicquam recens ex cogitari possit, quod à viris doctissimis præoccupatum non fuerit. Hæc tibi ex veteri Poëta reponantur:

*Alienæ quisquis recitat, & petit famam;*

*Non emere librum, sed silentium debet.*

Scribis: *Rem ad calculos exiliter revocemus.* At ex suis calculis Augustinus ac Monica duodecim dierum spatio, nusquam interrupto innere, mediâ saltem die alicubi spiritum ac vires colligendo, nimium, te deductore delassantur; siquidem reapse illam peregrinantium turmam, suis etiam sarcinis gravatam, magnis itineribus Mediolano Romanum usque, immo per Romanam ad Ostia statim Tiberina traxisti, ita ut octo diebus M. P. 40. reliquis quatuor M. P. 38. consecerint. Profecto si ad calculos, quos in digitis tam facile numerasti, pedibus, immo etiam equo illud iter tibi habendum eset, nescio an exiliter laborares.

MACE-

M A C E D O.

Pag.  
726  
col. 2.

**Q**uarto Maii mortua Mater, die sua ægritudinis nono: sume hos novem dies, invenies eam jam 26. Aprilis Ostia esse; nam quinque dies Aprilis necessarii sunt ad complendam summam novem dierum ægrotationis: Non die, quem numerum consciunt quinque Aprilis, & quatuor Maii: in his quinque includitur dies 26. Aprilis, quo die jam decubuerat Monica. Redi nunc ad Augustinum. Puta rationes; ait eodem cap. 11. lib. 9. Confess. quinque dies incolunam fuisse Matrem postquam per ventum est ad Ostia Tiberina: Tunc interea vix intra quinque dies, aut non multò amplius, febris decubuit: Numera hos & coniunge cum aliis quinque ægritudinis, reddunt diem & comprehendunt diem 21. Aprilis. Jam ergo illo die ibi erat Monica cum Augustino. Pervenerant igitur die 20. Aprilis, consumptis in itinere diebus 12. omnino necessariis ad illud iter prolixum consciendum, &c.

## S O M N I U M VIII.

**H**oc totum est Itinerarium opera & quidem magna descriptum, quod ut prolixius fieret, inaperte verbosari; nam uno verbo poterat dicere. Quarto Maii mortua Mater die sua ægritudinis nono: quare die 26. Aprilis febris decubuit. At tu rem sanè difficultem creditus, probandam censuisti scribens: Invenies eam jam 26. Aprilis Ostia esse; nam quinque dies Aprilis necessarii sunt ad complendam summam novem dierum ægrotationis: Non die. Cur rem per se ipsam vel mulierculis manifestissimam, viris eruditis tam pueriliter inculcas? Haud repeatam mihi somnum videri quum ait Monicam ac ceteros socios intra duodecim dies spatium M. P. 45. imd si Ostiam, uti putas, per Romanum (ita Itinerarii scriptores loquuntur) rectè perrexit, M. P. 470. emenam fuisse. Alterum informium hic loqueris, scribens Monicam die 20. Aprilis ad Ostia Tiberina pervenisse, ac die postea 26. febris decubuisse; testem citans Augustinum, qui scripsit quinque dies incolumen fuisse Matrem, postquam per ventum est ad Ostia Tiberina. Somnias; nusquam hoc Augustinus adstrinxit. Pennotus, cuius Itinerarium tam fideliter exscribis, illa communisctitur lib. 1. cit. cap. 4. num. 6. scribens: Cum B. Monica intra quinque dies post adventum suum ad Ostia Tiberina, febris decubuerit. Et statim: Nam obitum B. Moniae omnes in quartam diem Mensis Maii rejiciunt, ex quibus si dies tredecim detrahas, quibus illa ante obitum suum ad Ostia Tiberina venit, oportebit illam saltem die 20. Aprilis in Ostiis Tiberinis constituisse. Videsne archetypum Hodęporici, quod opera & quidem magna iterum tam bellę delineasti? Verum audiamus Augustinum, qui lib. 9. Confess. cap. 10. narrans qua apud Ostia Tiberina sibi cur matre, priusquam postremo morbo decumberet, contigerunt, hęc Deum alloquens, scribit: Provenerat, ut credo, procurare te occulti modis, ut ego & ipsa soli staremus, incubentes ad quamdam fenestrā, unde horus intradomum, quae nos habebat, prospexit ab apud Ostia Tiberina ubi remoti à tūpis, post longi itineris laborem, instaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo soli ralde dulciter, &c. Narrat cùm de cœlesti patria loquerentur, ecstasim passos; ac postea sibi Matrem dixisse: Fili quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Quid hie faciam, & cur hic sim nescio, &c. Tum addit Augustinus: Ad hæc quid responderim nescio. Cum interea vix intra quinque dies, aut non multò amplius decubuisse febris. Quod te, Rev. Pater, ubi iam Augustinus

dicit quinque tantum dies incolumen fuisse Matrem apud Ostia Tiberina, ita ut cùm illuc die 20. Aprilis pervenerit, die 26. morbo correpta, quartā postea Maii è vita migraverit? Hoc unum S. Doctor testatur, Matrem non quanto die postquam Ostia pervenerant, uti somnias, sed quanto die post transactum illud colloquium febris decubuisse. At dices Augustinum cum Matre die 20. Aprilis Ostiam pervenisse, ac die in sequenti 21. illud colloquium secum invicem habuisse. Fateor id in tuos calculos aptè dare, ac quadrare: Verum hujuscē tuæ imaginatio-nis nusquam Augustinum auctorem habes. Et sicut Augustinus dum ait: Vix intra quinque dies, aut non multo amplius decubuit febris, dubium se esse significat, num fuerint tantum quinque dies, aut non multò amplius, v.g. sex, ac dimidiis. At tu, quasi certius illa explorata haberes, quæ Augustinus & filius & præsens, de Matre scripsit, post tredecim sacula contendis quinque tantum dies, nec plures omnino fuisse; nam Monica die 20. Aprilis Ostiam perveniat, 26. decubuit, ac nono ægritudinis, iv. Non. Maii è vita discessit. Si hoc non est somniare, quid est?

M A C E D O.

**U**nus tamen advero vigilissimum Autorem Pennotum videri nescio quid minutum fugiße (& Pag. correctā mendosā citati one libri Soliloquiorum) Eo, 726. inquis, dico ne quis labore in inquirendo textu quemadmodum & mibi contigit. Illud item addidero sc̄ripsisse ex incognititia mendum circa diem Idū Aprilis, quem ille ponit illo cap. 4. lib. 1. num. 6. §. Dicendum pro die octavo Aprilis: Incidit, ait, illo anno vigilia Resurrectionis quarto Idū Aprilis, idest, die octavo; cùm reponendum sit die 6. Idū, non quarto. Nam quartus est dies Aprilis 10. non octavus, qui fuit vigilia Paschæ, uti vult, co anno. De re constat. Taliit computatio per Idū. Tene octavum Aprilis, relinque quartum Idū, & summam constabit.

## S O M N I U M IX.

**I**ngenuus homo es, qui tandem fateris, per quem profeceris. Hinc quid sperabam fore ut aliquando tui Itinerarii Architectum laudes, nunquam te plagii, aut repetundarum reum incusavi; licet decantatam tibi operam & quidem magnam non potuerim non deridere, cùm hocce Itinerarium nullo labore ex Pennoti libris exscripteris. Ille tamen Author vigilissimus, cùm in mentem tuam narrata hucusque somnia immiserit, nunc te, da veniam verbo, in roncos & quidem altissimos trahit. Itaque scribis cum Pennoto Augustinum die octavo Aprilis, Sabbato sancto, seu in vigilia Paschæ baptizatum, die in sequenti Mediolano, ubi à D. Ambrosio baptismum suscepserat, ad Ostia Tiberina pervenisse die 20. Aprilis consumptis in itinere diebus duodecim omnino necessariis ad illud iter prolixum consciendum. Dein quinque dies incolumen fuisse Matrem, postquam per ventum est ad Ostia Tiberina, eandem die 26. ejusdem mensis decubuisse, qua quarto Maii mortua est die sua ægritudinis nono. Et concludis: Tene octavum Aprilis & summam constabit. Fateor juxta somniatos tibi calculos, summam constare: quæ tamen immane ac horrendum insomnium, quo deluderis, ostenderit. Itane tam profundo somno indulsti, ut somniares Augustinum, Alypium, & Augustini filium Adeodatum die octavo Aprilis, in pervigilio Paschatis baptizatos, in sequenti statim die, sanctissimo Paschatis, totaque solēmni hebdomade iter fecisse, ut ad Ostia Tiberina pervenirent die

die 20. Aprilis consumptis in itinere diebus duodecim omnino necessarii. ad illud iter prolixum conficiendum? Neophyti Sabbato ~~et~~ baptizati, vestibus albis inducebantur, quas octavo postea die in Ecclesia depositabant; unde Dominica in Albis appellata est, qua die Augustinus sermonem 157. de tempore habens, Paschalis, inquit, solemnitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutantur, ita tamen ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. Hinc eidem Augustinus in Epist. 119. laudantur octo dies Neophytorum, quos in procēsio lib. de octo quēst. ad Dulcium dico Santos appellat. Tota illa hebdomas Christianis festiva erat, ut patet ex canone Trullano 66. Synodo Matisconensis II. cap. 2. Moguntinā sub Carolo Magno cap. 39. Meldensi can. 77. ubi legimus; Dies quoque octo sacrosancte Paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatis es se decernimus ab omni opere ruralli, fabrili, carpentario, &c. nempē ut Christianis omnibus Resurrectionis laudibus, & sacrosanta predicationi jugiter instare liceat. Ita inter sermones S. Augustini à 140. ad 164. ii recitantur, quos per sommē illam hebdomadem ad populum habuit. S. Joan. Chrysostom hom. 33. in cap. 12. Genesios ait: Postea illuciente Resurrectionis die; necessarium erat, ut de Resurrectione Domini charitatem vestram doceremus & sequentibus diebus propter miracula, quae tunc facta sunt, Resurrectionis demonstratio iterum afferenda erat. In quibus etiam in manus accepimus Apostolorum acta; inde nobis continua componentes convivia, & crebris quotidianis que admonitionibus eos, qui nuper baptisi gratiam acceperant, exhortantes. Passim apud veteres sanctos Episcopos leguntur sermones, quos per eam hebdomadem ad Neophytes habuerunt. Quo vero Christiani id temporis Ecclesiam frequentiores adirent, Valentianus junior anno 380. illam hebdomadem inter festos dies à jure dicundo feriatis reponit: L. 2. de feriis Cod. Theod. Santos quoque Paschæ dies qui septeno vel precedunt numero, vel sequuntur, in eadem observatione numeramus. Theodosius junior Ann. 425. Theatrales ac Circenses ludos inhibuit L. 5. de spectaculis, Ibid. Quandiu celestis lumen lavaci imitantia novam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur: Nempē quandiu Neophyti albati ad Ecclesiam procedebant. Et hi quidem singulis ejus hebdomadis diebus cum cereis sacrificio solemini in Ecclesia assistebant, conciones audiebant, ac uni Deo vacabant. Hinc Albinus Flaccus in Epist. ad Carolum Magnum ait: Tunc maximè cum alba tolluntur vestimenta à baptizatis, per manus impositionem à Pontifice accipere Spiritum sanctum conveniens est, qui in baptismō omnium receptorum remissionem peccatorum, & per septem dies in Angelico castitatis habitu, & luminibus celestis charitatis, sanctis assistere sacrificii solent. Itaque Neophyti per integrum hebdomadem vestibus albis induiti, accensus cereos manu tenentes, quotidie sacrificio intererant, ac octavo die alba indumenta deponentes, ab Episcopo per manus impositionem benedicebantur. Plura de his lege apud Josephum Vicecomitem lib. 5. de antiquis Ritibus Baptismi. At Macedo gravi somno corruptus, somniant Augustinum ac socios Neophytes totā sanctā hebdomadē, ne quidem ipso sanctissimo die Paschatis excepto, magnis itineribus ad Tiberina Ostia properasse. Ita recentes Neophyti huic homini somniantur non albati in Ecclesia, sed paenulati in via; non sacros cereos manu gestantes, sed eādem equorum habenas traētantes;

non ad altaria accedentes, sed ad mansiones, ac mēritorias tabernas in itinere divertentes; non sacrōs hymnos cum Sacerdotibus, ceterisque fidelibus in Ecclesia concinantes; sed cum agafonibus, rhediariis, ac mulionibus iter habentes. Nonne dicendus est XXXXX. LIBRORUM AUCTOR somnia esse immania & horrenda insomnia, quorum vel ipsum etiam, ubi primum evigilaverit, pudeat, ac quād maximē doleat talia somnia à Pennoto vigilatissimo auctore in suam ipsius mentem immissa fuisse? Hoc tamē infomnū lymphaticum ac prorsus Chimericum totius ITINERARII Auguslini Mediolano Romam unica basis est & fundamentum. Nam nisi Augustinus cum sociis Neophytes hesterna die baptizatis, ipso solemini die Paschatis iter suscepit, id est, die nona Aprilis, nec 20. ejusdem mensis ad Ostia Tiberina pervenerint, Monica quinque dies incolumis non fuit apud Ostiam, nec quarta die Maii, nona aegritudinis die defuncta: qua postrema de Matre diceret Augustinus testatur, & in Itinerarium debent necessariō quadrare.

## M A C E D O .

I Dem mensis jam bonā parte deceptā, initium itineris & finis fuit. An hoc insciari, qui recte calculos apud Augustinum ponat, quisquam possit? Tam sunt comperta, tam explorata omnia, ut vel in tenebris micanti credi debeat.

## S O M N I U M X.

N Emo non intelligit quae monstra adversis Ecclesiasticas leges, ritus, ac ceremonias Neophyti servandas somnaueris. Quād vero depravatē ac falsō apud Augustinum calculos somniando posueris, ipsemē maximus Doctor, cū primū longiorē somnum excuseris, demonstrabit. Nam hēc scribit lib. 9. Confess. cap. 6. Baptizati sumus, & fugit à nobis solicitude vita præterita. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Quantum slevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tua vocibus commotus acriter. Voces illæ insuebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, &c. Augustinus tua tibi voce somnum excutiat. Testatus in eo capite, in quo suum baptismum describit, se baptizatum, dum in Ecclesia Mediolanensi hymni sacri canerentur illis diebus, quibus Neophyti Ecclesiam quotidie de more frequentabat, in lacrymas erupisse. Deinde capite insequenti scribit hymnorū eantum ante annum ibidem fuisse institutum. Synodus Matisconensis II. cap. 2. ait: Paschæ nostræ debemus omnes festissime colere, & sedula observationis sinceritate in omnibus venerari, ut illis sex sanctissimi diebus nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati hymnis Paschalibus indulgentes perseverationis nostræ presentiam quotidiani sacrificii ostendamus, laudantes Creatorem, & Regeneratorē nostrum vespere, mand, & meridie. Eosdem quoque hymnos in Græca etiam Ecclesia per octo Neophytorum dies cantari solitos patet ex canone 66. Trullano: Asancta Christi Dei nostri Resurrectionis die usque ad novam diem Dominicam totā septimanā vacare fideles jugiter oportet psalmis, & hymnis, & spirituibus canticis in Chrysio gaudentes, festumque celebrantes. Hos hymnos, hēc sacra cantica Augustinus jam baptizatus, illis diebus, hoc est, per totam Paschalem hebdomadem, in Mediolanensi Ecclesia inaudivit. At tu fictos ac depravatos apud Augustinum calculos

T

calculos

calculos somniando ponens, procul ab Ecclesia ipso Paschali die, totaque inequenti hebdomadâ eundem abstrahens, ad ineundum iter impellis; à sacro sonore amotum statim ad rhedam trahis, sive in equum sustollis, ut in via avicularum cantus inaudiat. Præterea idem S. Doctor post narratum suum baptismum, cap. 7. ait: *Qui habitare facis unanimis in domo, conficiasti nobis & Evodium juvenem ex nostro municipio.* Et statim: *Simul eramus, simul habitabamus placito sancto.* Quærebamus quisnam locus nos utilius haberet, serpentes tibi, pariter remeabamus in Africam. Et cum apud Ostia Tiberina essemus mater defuncta est. Itaque testatur Augustinus post baptismum, in contubernium secum venisse civem Evodium, cum quo simul habitavit placito sancto, ac cum eodem alisque consilium inivisse de eligendo loco, in quo procul à turbis, uni Deo vacarent, ac decrevissent in Africam pariter remeare. Itaque Augustinus aliquantisper post baptismum Mediolani substituit, antequam ad Africam iter susciperet. Evidem in libris quos proximè ante baptismum scriptis, nunquam Evodius in illis Dialogis interloquitur. At cum Romæ postea Augustinus librum de libero arbitrio composuit, Evodium disputantem inducit, quippe qui post baptismum sibi apud Mediolanum adhæserat. Hæc cùm certissima sint, Maeedo somniando clamat: *Omnia sunt apud Augustinum: Ipse Itinerarium exhibebit.* Expergiscere jam tandem, expergiscere, ac cùm oculos perfrueris, videbis Augustinum post baptismum in Ecclesia Mediolanensi illis diebus Paschalibus hebdomade sacris hymnorum concentibus interesse; videbis eundem domi cum novo contuberniali codemque concive Evodio apud Mediolanum habitantem; videbis te operam & quidem magnam Itinerario ex paris putis somniantis fabulis contentendo dedisse, ac non modò, quod fateris, de Augustino, verum etiam in Augustino cogitatione somniare. Hæc tamen somnia à Pennoto vigilissimo Auctore gratis accepisti, qui suorum scriptorum papavere tam bellè te soporavit,

## M A C E D O.

**Pag.** **726.** **sol. 2.** *Invento die, & mense, & anno baptissimi Augustini, certum & exploratum habemus, de quo maxima certarior est, annum mortis, & nativitatis Augustini. Nihil ego ridi in re Chronologica turbatus, contentiosum de eo funem ducentibus domesticis, ac externis scriptoribus: quorum opiniones quære apud alios. Nam mihi non vacat Theologum agenti.*

## S O M N I U M XI.

**C**'redo equidem, quod Theologum agis, nihil in re Chronologica turbatus legisse, cùm Chronologia adytâ nec a limine salutaveris. Nam si Scalligeri, ejusque antagonista Petavii, Langii, Pettiti, Christmanni, Riccioli, aliorumque Chronologorum volumina evolvisse, longe turbatoria observasses; cùm tamen annus nativitatis, itemque annus obitus Augustini ab eruditis scriptoribus Augustianis Campensi, Herrera, Torello, Sabbatino, juxta vulgarem epocham Christianorum optimè digestus sit. Ricciolius insignis è Societate Jesu Chronologus tabulam vitæ S. Augustini per annos expansam exhibet lib. 9. Chronol. cap. 10. art. 1. pag. 402. sub titulo: *Synopsis annorum principiorum S. Augustini.* Utinam hanc, non verò Pennoti dicta elegisses! Cæterum quid somnias dicendo: *Invento die, & mense, & anno baptissimi Augustini certum & exploratum habemus annum mortis & nativitatis Aug-*

*gustini?* Tunc invenisti, an à Pennoto antè annos sex & quinquaginta inventum usurpati? At quid tandem invenisti? Augustinum in pervigilio Paschatis die 8. Aprilis baptizatum. Verum Chronologi reponent pervigilium Paschatis incidisse in diem 8. Aprilis anno Christiano 383. Cyclo Solis 28. Lunæ 4. litt. A. & iterum post quinquennium anno 388. Bissextili, Cyclo Solis 5. Lunæ 9. litt. B. A. Nec semel annum Christi appellasti, quo Augustini baptismus contigerit. Paschalis character Sabbati sancti die 8. Aprilis, bis intra quinquennium occurrit, ac proinde Chronologia annorum vitæ Augustini deducenda est ex certo ac fixo fundamento, quod gnomon sit, ex quo cæteri anni manifestè indicentur. At undè habes Augustinum baptizatum fuisse in pervigilio Paschatis, quod contigit die 8. Aprilis? Nempe quia ea ratione rectè supputas dies 12. itineris ad Ostia Tiberina, quinque dies incolumentis Monice prius quam febribus decumbens, nono ægritudinis die, quarto Maii mortua dicatur. Omnia hæc, ut notavi, inania somnia sunt, ac scriptore quinquaginta tomorum prorsus indigna. Attamen ex istis informis jactas te certum & exploratum habere annum mortis & nativitatis Augustini. Etiamnum dormis, ac somnias?

## M A C E D O.

**N**am mibi non vacat Theologum agenti: *Uti eo dignum est, ego in schola uno ictu omnes controver- ibidem sias amputabo.* Fixo non clavo pro anno, quod ajunt, pro anno (jam dixisti pro anno, cui repetis Somnias) more Romano, sed anno certo, & comperto fixo clavo trabali, more Scholastico eadem ratione, qua annum 33. baptismi demonstravi. Illa repetitio pro anno, vitium est tautologia, ut docent Grammatici.

## S O M N I U M XII.

**S**i contentiosum funem controversiarum, ac Gordianum hunc nodum uno ictu amputabis, cùm jam Macedo sis, alter etiam eris Alexander. Sed eo fune tu supra cæteros artissimè impliearis; dum Augustinum hæsternâ die Neophyton per Italî mansiones per totam Paschalem hebdomadem trahis. Annū quem inter somnium, fixum clavo trabali jactas, ubi tibi somnum excussero, intelliges te illum annum Pytismate, imò ne tenui quidem sputo fixisse. Voces istæ uno ictu amputare: fixo clavo trabali: more Romano, magni hiatus sunt hominis jam dormituri, qualis tamen vix dici possit, cùm magnam hucusque Itinerarii tui partem semper somniando transegeris.

## M A C E D O.

**A**c primum: Leonardum Coquæum, Gabrielem Pennotum, Petrum Ribadeneyram ad scopum collimasse, dum annum Christi 431. Augustini morte (reponere morti) assignarunt.

## S O M N I U M XIII.

**A**ugustini verba sunt in Psal. 63. *Dormientes testes adibes: verè tu ipse obdormisti.* Tres illi alias eruditæ scriptores in designando anno obitus Augustini aberrarunt. Nec exprobro, nec insulto, qui nominim bonum etiam Homerum quandoque dormire. Hoc miror te Endymionis somnum dormire. Capreolus Carthaginensis Episcopus, ac Prosper Aquitanus, Augustino æquales ac synchroni, imò & ejusdem viventis amici testantur ante A. 431. Augustinum è vitâ migrasse. Hoc ipsum eidem seculo proximus scribit Liberatus Diaconus Carthaginensis, quorum ad Som. 39. & 41. verba recitabo. Itaque somnias tres illos

illos scriptores, qui hoc saeculo inter homines ambulabant, ad secundum collimasse, aberrasse vero Capreolum ac Prosperum perperam assignando annum quo Augustinus ipsorum amicus est vivis excessit. Testes, qui moriente Augustino vivebant, ut mendaces repudias; testes qui post mille, ac ducentos annos ab Augustini obitu vixerunt, appellas & laudas nec somnias?

## M A C E D O .

*Videm* **H**unc tu deinceps, Lector, certum habeto, & indubitatum, idque meis calculis subductis efficiam.

## S O M N I U M X I V .

**D**um crispata fronte, ac magistrali supercilio de anno obitu Augustini 431. legem promulgas: Hunc tu deinceps certum habeto & indubitatum, somniaste in Chronologorum Republica Dictatorem, à cuius sententiā nemini liceat appellare. Imperiosus homo es: Est vetusti poëta hemistichium. Depones fasces dictatorios, cum primū calculos subducere incipes; nam Chronologi, quod tantum somniando usurpas, imperio tibi abrogato, ad pueros Arithmeticæ primam operam ponentes, amandabunt.

## M A C E D O .

**V**olo ut hoc mibi debeat Augustinianagens, cui sum deditus. Hoc ego nomine eos mibi nomina faciam.

## S O M N I U M X V .

**A**ugustiniani, quos sine auctore Aborigines, aut sine parente Myrmidores somniasti, hoc te nomine salutabunt: Ecce somniator venit. Augustinus Pater est multarum gentium. Si Canonicos regulares appellas, ipsi viderint, quo te nomine per antonomasiā nuncupabunt. Sin Eremitarum fodalitum intelligis, cum te tot insomniornm portenta narrantem inaudiuunt, quid nisi risum ac cachinnos debent? Ludovicus ab Angelis Lusitanus, Thomas Herrera, Petrus Campensis, Joannes Marquezius Hispani; Niccolaus Crusenius, Joannes Rivius, Christianus Lupus Belgæ, Aloysius Torellus, Joseph Sabbatinus, Henricus Noris, qui tres adhuc in Italâ superfites sunt, Simplicianus à S. Martino, ac Carolus Moreavius nostri Galli, qui de Augustini vitâ, gestis, scriptis, deque Augustinensium instituto, ac rebus gestis justa volumina condidere, obitum Magni Patris affixerunt anno æra Christianæ 430. Tu vero tua somnia tanti facis, ut spores fore, ut pro eisdem Augustiniani grates persolvant, vel saltem debeat, ac relictâ sententiâ certâ ac indubitate de anno mortis Augustini 430. quam tot insigne Augustiniani scriptores in bono lumine collocarunt, tuum de anno obitū ejusdem Doctoris insomnium & sequantur, ac tibi etiam plaudant, cui

— velut agri somnia, vane  
Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni  
Redditur forme.

## M A C E D O .

*Videm* **S**umptate veritate proxime adducta & confirmata, nullus alius obitus Augustini A. esse potest, nec ante, nec post. Excludo quod est facilius annum post 431. qui sit 432. quia eo anno ineunte Cœlestinus Papa decretalem Epistolam editit pro Augustini doctrinâ, quæ eam confirmavit & consecravit, repressis illius adversariis Pelagii reliquiis, sive Semipelagianis, mox jam Augustino; quem ipse paucos post menses fecutus fuit; scilicet V. Idus Apr. ejus anni 432. cum Augustinus menje Aug. superioris anni 431. obiisset.

## S O M N I U M X VI .

**I**n Romano Martyrologio die 6. Aprilis leguntur: *Rome S. Cœlestini Papa, &c. & in vita ejusdem: Sepultus est in cæmeterio Priscilla pia Salaria VIII. Idus Aprilis.* At tu somnias Cœlestinum est vitâ migrasse V. Idus, hoc est, die nonâ Aprilis, qui VIII. Idus, idest, die sexta ejus mensis demortuus, ac sepultura traditus fuerat. Licet tamen somnianti fingere homines in lecto febris extingui, postquam ante triduum sepulchro conditi fuerant.

## M A C E D O .

**N**unc excludo antecedentem, idest 430. irrefragabilis *Ibidem* argumento, ni pro proxima supputatione; Augustinus baptizatus fuit anno illo 388. quod liquet: nec alio baptizari potuit: ab eo ad annum 431. decurrit iustum spatium temporis reliqua vita usque ad obitum Augustini, quod continet quadraginta sex annos; igitur eo anno mortuus est. Subduco calculos.

## S O M N I U M X VII .

**S**iste parumper, antequam calculos subducas; nam quam proxime subduxisti, suppuratione est tibi iterum repetenda. Ponis annum baptismi 388. addis supervixisse postea Augustinum usque ad annum 431. quod medium vitæ spatium, inquis; continet annos quadraginta sex. Jam prædixeram te à Chronologis, quibus pro imperio leges imponis, ad prima Arithmeticæ elementa discenda amandandum. Da numerum 388. adde 46. habetur supputando numerus 434. Tu vero per iomnium subducis 431. Pereram, si evigilans tam depravatè calculos subduxisti.

## S O M N I U M X VIII .

**D**icis: *Augustinus baptizatus fuit anno illo 388.* quod liquet, nec alio baptizari potuit. Nunquam in tuo Itinerario annum 388. nominasti, & modò dicis anno illo 388. Illum quidem Paschali charactere indicaveras, nempe cum Sabbathum sanctum incidit in diem octavum Aprilis, qui tamen character congruit, ut dixi, anno etiam 383. Quæso te, cur illo anno 388. Augustini baptismus contigit. Respondes quia post diem 8. Aprilis, aptè superlunt dies duodecim itineri Mediolano Romanam conficiendo, item quinque incolumis Monicæ apud Ostiam, & novem insuper ægritudinis ejusdem ante mortem; quam obiit quarto die Maii. Verum hoc horrendum somnum contrâ Ecclesiasticas leges Neophytis impositas, tu quoque, cum evigilaveris, non quidem deridebis, sed planè excaberis. Hoc somnium nititur quod jaegas; irrefragabile argumentum. Præterea ais: *Augustinus baptizatus fuit illo anno 388.* quod liquet. At non liquet num eo anno Augustinus ageret annum ætatis 33. inchoatum, an vero compleatum, qui de re dixi ad Somnium II. Ludovicus ab Angelis Augustinianus ac Doctor Comitensis lib. 1. de Vita Sancti Augustini cap. 4. scribit Augustinum baptizatum fuisse die 24. Aprilis, Sabbatho sancto, Ann. 387. quam sententiam pluribus postea firmarunt Herrera in Alphabete Augustiniano, Torellus tom. 1. sæcul. Augustin. ad Ann. 387. aliisque. Hunc sui baptisimi annum aperte insinuat Augustinus lib. 9. Conf. ubi cum cap. 6. narrasset se post baptismum inter sacros hymnorum cantus in Mediolanensi Ecclesiâ levissime, cap. 7. initio hæc scribit: Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolatiōnis et exhortationis celebrare, magno studio fratrum conci-

T 2 ne

nentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cùm Justina Valentiniāni regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis sua causa, quā fuerat seducta ab Arrianis. Ex cubabat pia plebs in Ecclesiā, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo, &c. Tunc hymni & psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mororis tædio contabesceret, institutum est. Et statim: Tunc memorato Antisliti tuo per viam aperūisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasi & Gervasii. Et narratis miraculis in sacrarum reliquiarum translatione patratis, ait: Inde illius inimicæ animus, et si ad credendi sanitatem non applicitus, à perseguendi tamen furore compresus es. Hæc anno antè suum baptismum contigit Augustinus testatur. Valentianus junior, occiso Gratiano fratre a Maximo in Galliis Ann. 383. à Justinā matre seducta Arrianae sectæ adhaeserat. Id contigit anno 385. Nam D. Ambrosius scribens ad eundem Principem Epistolam XI. lib. 2. pro non restituendā Arā Victoriae in Curia contrà Symmachum Prefectum Urbis anno 384. ait: Certe si aliud statuitur, Episcopi hoc a quo animo pati & dissimilare non possumus. Licebit tibi ad Ecclesiam convenire, sed illi non invenies Sacerdotem, aut invenies resistentem. Itaque eo anno 384. Valentianus in Ecclesiam conveniebat, ac proinde nondum palam Arrianum dogma profitebatur, uti anno insequenti fecit. Nam Valentianus anno 385. Justinā Augustā Arrianis impensis facente, à qua etiam seductus ad illorum sectam transierat, egit cum Ambrosio, ut Basilicam Arrianis concederer, ubi suos & ipsi conuentus celebrarent. Ambrosius nullis Imperatoris promissis aut minis ad tradendam Basilicam infecti potuit. Hinc in oratione de non tradendis Basilicis, quam anno 386. ut ostendam, recitat: Quasi vero, inquit, superiori anno, quando ad palatum sum petitus, cum presenibus primatis ante consistorium traharetur, cùm Imperator Basilicam vellet eripere, ego tunc aule contemplatione regalis infraclusus sum, constantiam non tenuerim Sacerdotis, aut immuno jure discesserim. Hinc Justinā impotens ira, auctrix fuit Valentianus, ut legem publicaret, quā Arrianis publicè in Ecclesiam convenienti facutas permitteretur, quā initio anni 386. in hæc verba concepta est: Damus copiam colligendi his, qui secundum ea sentiunt, quæ temporibus Dicā mem. Constantii, Sacerdotibus convocatis ex omni Orbe Romano, expositaque fide ab his ipsis, qui dissentire noscuntur, Ariminensi Concilio, Constantinop. etiam confirmata in æternum mansueta sunt. Convenienti etiam quibus jussimus patet, cat arbitrium, &c. Dat. X. Kalend. Febr. Mediolani Honorio N. B. P. & Erodio Coss. Exstat lib. 16. Cod. T. L. 4 de fide Catholicæ. Ambrosius nullam, se vivo, Arrianos basilicam Catholicis erupturos protestatus, Principum sibi odia contraxit, ac insignem orationem de non tradendis basilicis hereticis, recitavit. Baronius in vita S. Ambrosii scribit eam orationem habitam A. 385. in Annalibus vero eandem refert A. 387. Verum nullus dubito, quin recitata sit anno 386. Nam cùm festa Paschaliā instaret, Imperator iussit sibi concedi basilicam Portianam, in qua cum matre ac ceteris Arrianis sacros dies celebrarent. Ambrosius in laudata oratione conqueritur inclinatum IAM vel Imperatoris judicium quod latâ lege patescit; & paulò inferius: Hanc ergo legem quisquam sequatur, qua firatur Ariminense Concilium, in quo creaturadictus est Christus. Ex his patet eam orationem habitam fuisse paulò post eam pro Arrianis legem à Valentianō

latam; siquidem si eam recitasset decimo quinto mense postquam emissâ fuerat, nempè die 18. Aprilis Dominicā Palmarum A. 387. quæ posterior Baronii opinio fuit, non dixisset: IAM inclinatum Imperatoris judicium, cùm ante annum ac mensem tertium id contigisset. Ex iisdem etiam verbis constat eam orationem non suisse recitatam A. 385. cùm disertè ibidem execraret legem pro Ariminensi Concilio, quæ anno 386. emissâ fuit. Et sane cur Justina irarum ac minarum plena, ac suis Arrianis impotenter favens, e juis legis exequitionem in alterum annum, & quidem Mediolani præsens, distulisset? Etenim id temporis, cùm lex emissâ fuit, Valentianus annum ætatis agebat decimum quintum, cùm ex Ammiano Marcellino in fine libri 30. die 17. Novembribus anno 375. tum quadrimus ad imperium evectus fuerit, quamvis in fasibus Idacianis dicatur natus die 18. Januarii A. 366. Itaque cùm A. 386. festa Paschalia instaret, Comites è consistorio Principis Ambrosium convenire, ut eundem ad basilicam tradendam inclinarent. Rem fusiū idem Ambrosius narrat in Epistol. 14. ad Macellinam sororem, scribens: Sequenti die (erat enim Dominica) post lectiones atque tractatum, dimissis Catechumenis, symbolum aliquibus Competentibus in baptisterii tradebam Basilicā. Erat Dominica Palmarum, qua die symbolum ab Episcopis competentibus tradebatur, qui postea in pervigilio Paschatis baptizabantur. Addit in eadem Epistola Ambrosius: Ego in Basilica veteri rotum exegi diem, inde domum cubitum me recepi, ut si quis abducere vellet, inveniret paratum. Nam fama erat Ambrosium iussu Imperatoris in exilium deportandum. Quod veritus populus eidem excubias faciebat. Id testatur Ambrosius initio statim Orationis laudatæ: Video vos praeter solitum esse turbatos, atque afferantes mei. Miror quid hoc sit, nisi foris quia per Tribunos me vidistis, aut audistis imperiali mandato esse continentum, ut quo vellem abiрем hinc, &c. Et inferius: Certe si Dominus huic nos certamini deputarit, frustra per vigiles tot noctibus & diebus custodias exhibetis. Implebitur Christi voluntas. Dominica Palmarum eo anno 386. contigit die 20. Martii, Cyclo Solis III. lit. D. In eadem Epistola 14. narrationem prosequens ait: Ante lucum ubi pedem limine extuli, circumfuso milite occupatur Ecclesia. Erat Feria II. majoris hebdomadæ, 30. dies Martii. Et statim addit: Exactus est torus ille dies in mærore nostro; scilicet tamen ab illudentibus pueris cortina regia. Ego dominum redire non potui, quia circumfusi erant milites, qui Basilicam custodiabant. Itaque coactus est in Basilica permaneare. Postea vero ait: Sequenti die (nempe feria 3. die 31. Martii, non autem feria secunda, ut putavat Baronius) lectus est de more liber. Ione, &c. Tunc vero populum hymnos ab Ambrosio compositos in Ecclesia cecinisse, idem in citata Orat. testatur: Hymnorū quoque meorum carminib[us] deceptum populum ferunt. Interē milites palam Imperatori denuntiarunt ituros se orandi gratiā ad illam Basilicam, in qua foret Ambrosius, nec ullā ratione se pati posse ab ejusdem communione separari. Tum Imperator militarem tumultum, ac iratæ plebis furorem veritus, consilium extorquendæ Basilicæ depositit. Sub id ferè temporis inventa sunt ab Ambrosio corpora Sanctorum Martyrum Protasi & Gervasii, quæ insigni pompa Sanctus Doctor in Ambrosianam basilicam transluxit. Id contigisse die 19. Junii, qua eorundem memoria in fasibus Ecclesiæ colitur, pluribus ostendit Petrus Puricel-

Puricellus in differt. Nazariana cap. 73. & in lib. de monumentis Ecclesie Ambrosiana. Hoc ipsum colligitur ex Augustino term. 39. de diver. ubi ait: *Celebramus ergo hodierno die, fratres, memoriam in hoc loco positam SS. Protasi & Gervasi Mediolanensium Martyrum. Non eum diem, quo hic posita est, sed eam diem hodie celebramus, quando iurenta est pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus per Ambrosium Episcopum hominem Dei, cuius tunc tanta gloria Martyrum etiam ego testis fui. Ibi eram, Mediolani eram, facta miracula novi. Idem vero Augustinus lib. 9. Confess. cap. 7. ait opportunè detectas eas Sanctorum reliquias: ad coercendam rabiem femineam, sed regiam; nam ob patrata miracula illius inimica animus, etiè ad credendi sanitatem non applicitus, a persequendi tanac furore compressus est. Hoc ipsum testatur Paulinus in libro de vita S. Ambrosii, quem Augustino nuncupavit, ubi narratis miraculis in depositione corporum SS. Martyrum factis, ait: *Dennique ex hoc tempore sedari coepit persecutio, quæ Justina furore accendebat, ut Sacerdos de Ecclesia pelleret. Exstat inter literas Ambrosii Epist. 53. ad Episcopos Italiae de inventione corporum laudatorum Martyrum, quam etiam productit Damascenus orat. 2. de Imaginibus, in qua dicuntur illæ reliquiae in diebus translatæ nuper Quadragesima reperta; ea tamen suspectæ fidei Baronio visa est, & certè repugnare videtur Epistolæ 54. quam Ambrosius ea de re ad fororem prescripsit. Conferat utramque Lector, & judicet. Hinc etiam rursus probatur Justinæ persecucionem, ac Martyrum inventionem non contigisse A. 387. Nam hoc anno Valentinianus, ac Justinus Ambrosium legatum ad Maximum Treviro misserunt, qui re infectâ dimisissus ad Valentinianum scripsit: *Esto tutor adversus hominem pacis in volucro bellum regentem. Epist. 56. Quare Imperator Domininum alterum pro confirmandâ pace legatum ad Maximum delinavit, quem Maximus ingenti honore exceptum, ac regiis muneribus decoratum dimittens, illum cum exercitu subsecutus, Cottis ac Juliis Alpibus occupatis, ex Pacato in panegyrico ad Theodosium, in Italiam descendens, Aquilejæ contendit. Valentinianus vero improviso Tyranni adventu territus, consensâ nave, cum Justina matre Thessalonicam fugit, Theodosii qui in Oriente imperabat, opem imploratus. Paulinus laudatus post narrata miracula, ac remissum Justinæ furorem, ait: *Sanctus vero Ambrosius Episcopus majoris humilitatis vir factus donatam sibi a Domino gratiam reservabat, crescebatque quotidie fide & amore coram Deo, & hominibus. Ibi vero paulò post scribit Ambrosium alterum ad Maximum legationem suscepisse. Igitur cum die 19. Junii sacræ reliquiae inventae fuerint, ac postea ob miraculorum famam totius populi ore celebratas, Justina iram remiserit, id circâ exitum Junii dicatur contigisse. Cum vero Paulinus, antequam narrat delatam Ambrosio legationem, dicat illum crevisse quotidie fide & amore coram Deo & hominibus, vix ante initium Augustum legatione functus videtur; neque enim Justina hominem hesternâ die, ut ita dicam, sibi infensissimum, tam citò eo honore exornasset, præsertim cum Maximus Arrianus persecuteretur. Hinc patet memoratam persecutionem contigisse A. 386. neque enim intrâ trimestre spatiū Ambrosii, & iterum Domini legationes, ac Maximi in Italiam irruptionem contingere potuisse affirmabit, qui locorum distantiam consideraverit; cum Maximus Treveris, Valentinianus vero Mediolani, vel Aquilejæ sub-****

sisteret. Zosimus scribit Dominum Aquilejæ legatum destinatum. Maximus certè labente Autumno Alpes superavit, cum circâ hiemem gelu rigant, exercitus planè impervia. Hinc anno 386. Justinæ contrâ Ambrosium persecutione, hymnorum apud Mediolanensem Ecclesiam institutione, ac denique inventione reliquiarum Martyrum Protasi & Gervasi alligatis, annus baptissimi S. Augustini appareat, nempe 387. quando, ut ipse ait: *Annus erat aut non multò amplius cum Justina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persecutetur, &c. quando Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata tum Episcopo suo &c. Porrò gravior persecutionis frigor contra Ambrosium detonuit ex superiùs demonstratis die 29. ac 30. Martii A. 386. Nocte vero postremam ejus mensis diem præcedente, plebs cum Episcopo Ambrosio in Ecclesia excubuit. Cum vero Augustinus baptizatus fuerit die 24. Aprilis Sabbato sancto A. 387. Cyclo solis IV. Lunæ VIII. lit. C. rectè scriptis Augustinus nuper baptizatus: *Annus erat, aut non multò amplius, nam à Dominicâ Palmarum A. 386. ad diem abs se suscepti baptismi, numeratur annus, ac dies insuper viginti septem, quos illis vocibus aut non multò amplius apertissimè expressit. Ceterum quamvis hucique Ambrosii, Augustini, ac Paulini deducatur, ac secum invicem collata testimonia A. 387. Augustini baptismum deputandum demonstrent, hoc ipsum antiquissimi Chronologi, ac ipsius Augustini postremâ etate viventis, auctoritate confirmatur. Is est Proþper Tyro, cuius Chronicón per annos imperii Romanorum Principum ab obitu Valentis, usque ad Valentiniani II. I. necem digestum, eruditissimus Pithœus publicavit, ac postea Canisius tomo I. Antiq. pag. 164. inferuit, ac emendatus postremò edidit Labbeus T. 1. Bibl. MSS. pag. 56. Integrum fragmentū recitabo. Igitur sub distinctis annorum notis hæc ibi leguntur. II. *Justina mater Valentiniani Arrianis favens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit.***

*Reliquæ Gervasii & Protasii Martyrum ab Ambroso primum Mediolani reportæ.*

*Hymni Ambrosii composti, qui nunquam ante in Ecclesiis Latinis modulis canebantur.*

III. *Maximus indignum ducens contrâ Ecclesie statum agi, locum irrumpendi quod cum Valentiniano junxit, fædus, invenit. Valentinianus veritus imminentem jam cervicibus suis Tyrannum, ad Theodosium confugit.*

*Augustinus Mediolani Rhetoricam ad prime docens, omisso scholis ad fidem rectam convertitur, cum ante Manichæus fuisse.*

IV. *Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens; Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit.*

*Justina, quæ Ecclesias vexaverat, ne regnum cum filio reciparet, morte prevenita est.*

Ita Chronologus Augustino Synchronus A. 386. tria illa refert, quæ Augustinus ante annum sui baptismi contigisse narrat. Idem etiam A. 387. recitat Valentiniani fugam ac baptismum S. Augustini; & quamvis conversionem ad fidem nominet, quæ incunabula estate A. 386. acciderat, nomine conversionis publicam fidei professionem in baptismō factam intelligit; neque enim notum illi erat, quid privatum antea Augustinus secum deliberaverat. Denique Maximi necem refert, quæ contigit A. 388. die 28. Augusti, ut scribit Socrates lib. 5. cap. 24. & patet ex L. 6 & 7. de infirmis quæ sub Tyranno Cod. T. In eodem etiam Chronico mors Valentiniani sub num. IX. ponitur, qui cum extinctus

extinctus fuerit ex S. Epiphanius libris Maii, pridie Pentecostes, die Sabbati cap. 20. de mens. & pond. nempe die 15. Mai A. 392. Bissextili, Cyclo solis IX. lit. D C. Justina persecutio juxta laudatum Chronologum eadit in A. 386. & in sequentem baptismus, seu publica conversio Augustini. Ex his ad somnum Macedi redeundum est, qui ait: *Augustinus baptizatus fuit anno illo 388. quod liquet; cum plane liquet ex testimonio Chronologi Augustino coepi; imo ipsius etiam Augustini, baptizatum fuisse A. 387. die 24. Aprilis, Sabato sancto.* Hoc idem iterum demonstrabitur ad Somnum XXXI. ubi Augustinianus vita Chronologis ex S. Doctoris libris exponetur,

ibidem

## M A C E D O.

**A**ugustinus secundum Possidonium in eius vita, vixit annos septuaginta sex. In Clericatu autem vel Episcopatu annos fermè quadraginta, quod tempus Romanum Breviarium ita exposuit in tercia secundi nocturni lectio: Vixit annos septuaginta sex, in Episcopatu ad triginta sex: non meminist Clericatus, uti Possidonus. Teneamus Episcopatum. Addamus aliquos simplicis Clericatus, plus quatuor, sunt quadraginta Possidonii, supersunt sex secundum supputationem Romanam, quos sic colligo.

## S O M N I U M X V I I I .

**P**onis annos 36. Episcopatus, addis quatuor, & aīs: Fuerint quadraginta Possidonii. Recte in dīgitis numerali, quod cum ante duodecim versus facere non posses, datis annis 388. & additis 46. collegisti summam annorum 431. Hic vero etiam somnis, cūm aīs, supersunt sex secundum supputationem Romanam. Ex hoc vero somnio longam sanè somniorum catenam cūdis, ac extendis, quod proximè apparabit, cūm annorum annulos colliges, ac connectes,

ibidem

## M A C E D O.

**T**rigesimum tertium annum fermè Romae, quod rediit post mortem Matris, Augustinus consumpsit, quemadmodum diximus superius cap. 1. Collat. 2. (reponere collat. IX. nec tuos libros nisi somniando citas) diximus. Saltem annus ille exit, dum transmisit in Africam. Venit ergo in Africam in eunte anno suo 34. Augustinus. Secessit postea in agros paternos, ubi fuit comoratus triennium expressum à Possidonio cap. 3. quemadmodum supra non semel statuimus. Erat hic annus 37. Augustini. Supersunt ad 46. anni novem, quos Breviarium assignat Clericatu S. Augustini ante Episcopatum, quem eo anno obtinuit, idest quadragesimo sexto.

## S O M N I U M X I X .

**Q**Uodd cūm velis, & quantum velis, dormites? dormias, somnies, haud magno tibi virio veram; sed quid tua ridicula somnia Breviario Romano, hoc est, Romanæ Ecclesæ affices, hoc gravius peccatum est, quam ut à me tantummodo castigeris. Ubi, ubi, quo te, memorantur anni novem, quos Breviarium assignat Clericatu S. Augustini ante Episcopatum? Augustinus obiit, uti somnias, A. 431, Episcopatus, inquit Breviarium, A. 36. Jam ab A. 431. retrocedere per annos 36. initium Episcopatus Augustini juxta Breviarium, eadit in A. 395. Quod si Breviarium assignat annos novem Clericatu S. Augustini ante Episcopatum, initiatus est Clericus juxta Breviarium, te tamen Auctore, anno 386. nemp̄ biennio ante baptismum. Nonne horrenda somnias?

ibidem

## S O M N I U M X X .

**S**omnio somnia annexis; postquam enim dixisti Breviarium novem annos assignare Clericatu ante Episcopatum, quem addis: eo anno obtinuit, idest quadragesimo sexto. Augustinus, ut tu putas, natus est A. 355. adde huic numero annos quadraginta sex, habetur annus Epochæ Christianæ 401. Videamus quæ commenta somnies? Etenim si Augustinus obtinuit Episcopatum anno etatis quadragesimo sexto, Christi 401, annos tantum triginta Episcopus sedisset, cum tamen Breviarium annos 36. Episcopatus affirmet. Hæc somnia tam immania Typographo vellem adscribere. Verum tu disertè scribis: *Supersunt ad 46. anni novem;* & postea ais obtinuisse Episcopatum anno quadragesimo sexto; Romanis literis, non Arabicis notis, numeros annorum scribis. Igitur unus tu somnasti. Somnium totum tuum est, in cuius partem non Amanensis, non Typographus, nullus hominum veniat. Potes etiam aliâ ratione calculos subducere. Augustinus obtinuit Episcopatum anno etatis quadragesimo sexto, juxta Breviarium, adde annos Episcopatus 36. hunc anni vita Augustini octoginta duo. Verba Breviariorum historicè optimè recitasti; Arithmeticè eadem retractando corruptisti. Hæc ibi leguntur: *Vixit anno septuaginta sex, in Episcopatu ad triginta sex.* Deme de annis 76. annos 36. remanet annus vita Augustini quadragesimus, non uti somnias, quadragesimus sextus. Legimus in altera Lectio Breviariorum: *AValerio notæ sanctitatis Episcopo Hippo-nensi presbyter factus est.* Nulli anni presbyteratu assignantur. At tu novem numerari somnias. Cum dormiendi finem facies, ac Breviarium relegaris, tam ridicula insomnia ridebis.

## M A C E D O.

ibidem

**C**onstat summa annorum Episcopatus 36. secundum calculos Breviariorum Romanorum, quod quidem longorem ei tribuit Clericatum. Quare videtur Possidonus exactius, & accuratius illud tempus distribuisse.

## S O M N I U M X X I .

**I**dem somnum continuas. Ex Breviario habemus annos vita Augustini septuaginta sex, quorum 36. Episcopatus vixit. Nec vela, nec vestigium annorum Clericatus appetit. Neque novem annos assignat Clericatu, ut immaniter comminiseris: neque sex: neque quatuor: neque duos, imo neque etiam unum. Nam ibidem presbyter tantum dicitur factus, nullo gesti presbyteratus tempore designato.

## S O M N I U M X X I I .

**U**t videatur Possidius exactius & accuratius illud tempus distribuisse somnum tuum facit, qui annos etatis Augustini ante Episcopatum quadraginta sex juxta Breviarium numerasti, cūm palam ex Breviario quadraginta solummodo colligantur.

## M A C E D O.

ibidem

**V**eram ut utrumque concordet; animadverso Breviarium Romanum conclusisse in Clericatu illos annos Episcopatus, quibus Augustinus simul cum Valerio gesit Episcopatam, quos saltem tres else oportuit: ita post triennium decursum presbyterii Episcopus fuerit consecratus, & coadjutor Aurelio datum. Quorum tamen distinctam Possidonus rationem habere noluit, numerans tantummodo eos, in quibus solis, mortuo jam Valerio, Augustinus solitarius Episcopatum administravit.

S O M -

## S O M N I U M XXII.

**H**æres etiamnum in eodem luto somniando. Breviarium Romanum ait Augustinum vixisse annos in Episcopatu ad triginta sex. Nihil hic de Clericatu, seu de annis Clericatus. Et sanè somnias Romanam Ecclesiam Augustinum Episcopum ordinatum coadjutorem Valerii, inter Clericos numerare. Uterque enim erat & censebatur Episcopus. Qua ergo ratione annos, quibus sedis Coepiscopus, in Clericatu conclusit? Breviarium ait sedis Episcopum annos triginta sex. In istis annis 36. vel numerantur anni, quibus et iam sedis simul sicut Valerio; vel quibus, Valerio mortuo, solus Hippensem Ecclesiam administravit. Quid mavis, eligito. Si primum affimes; vides te somniasset dicendo Breviarium conclusisse in Clericatu illos annos, quibus Augustinus simul cum Valerio gessit Episcopatum; nam illos annos numerat in annis Episcopatus. Sin alterum adstruis; jam somnias Augustinum Episcopum cum Valerio, triennio ante A. 395. Equidem nondum altus te somnus cuperat, cùm pag. 720. col. 1. dicitur abs te Augustinus Episcopus creatus a Megalio Primate Numidie annum agens quadragesimum; incidit autem is in annum Christi 394. sexto post baptismum. Ex quo ad obitum usque Augustini numerantur anni triginta sex, quos vivit in Episcopatu secundum computationem Breviarii Romani, & Possidoni. At Megalius consecravit Augustinum Episcopum Coadjutorem Valerio datum ex Possidio cap. 8. Hinc illa pag. 720. recte numeras annos, quibus sedis cum collega Valerio, inter illos 36. quos Breviarium tribuit Episcopatu Augustini. Denique Augustinus lib. 1. Retract. cap. 17. scribit se presbyterum de symbole disputasse coram Episcopis hoc subuentibus, qui plenarium totius Africa Concilium Hippone regio habebant. At hæc Synodus in Codice Africano dicitur celebrata Imp. Theodosio III. & Abundantio V. C. Cos. VIII. Idus Octobris. Igitur die 8. Octobris A. 393. Augustinus adhuc erat presbyter, ut planè somnum sit Breviarium Romanum in annis 36. Episcopatus Augustini non numerasse eos, quibus una cum Valerio sedis.

## S O M N I U M XXIII.

**Q**uod verò pag. 720. citata recitas Episcopatum Augustini anno Christi 394 aliud somnum est. Nam S. Prosper Augustini & viventis & demortui defensor acerrimus, cui S. Doctor libros duos honoris gratia, nuncupavit, in Chronico scribit: Olybrio & Ptolemy Cos. Augustinus B. Ambrosii discipulus, multa facundia doctrinâque excellens, Hippone regio in Africa ordinatur Episcopus. Illud collegium Consulum signat Annum Christi 395. Longior somnus, quotandiu stertis, fecit ne in illud aureum Chronicon ab amico Augustini compositum, oculos aperire. Alium errorem errasti, cùm dixisti pag. 727. & coadiutor Aurelio datus. Reponere: Valerio, ut antea ac statim collegam Augustini recte nominasti. Est levius erratum, quod nolo somniorum numerum augeat.

## S O M N I U M XXIV.

**I**mportunus fortè videar, qui à somniante constantiam in loquendo desiderem, ita ut sibi invicem repugnantia loqui non possit, cùm quilibet Chimæras ac Hiracervos somniando concipiatur. Imò hinc vel maximè tua somnia comprobentur. Hic dicas Breviarium Romanum conclusisse in Clericatu illos annos Episcopatus, quibus Augustinus simul cum Valerio gessit Episcopatum, quos saltē tres esse oportuit: ita post triennium

de cursu presbyterii Episcopus fuerit consecratus, & coadiutor Aurelio (scribas Valerio) datus. Igitur ex Breviario habentur tres anni presbyterii, & itidem tres Episcopatus Augustini cum Valerio, qui simul sumpti annos sex constituant. At patios ante versus, nempe 12. dixisti: Supersunt ad 46. anni novem quos Breviarium assignat Clericatu S. Augustini ante Episcopatum. Hic annos novem commentaris. Si novem anni sunt, non sunt tantummodò sex; si sex, quomodo novem? Pugnantia loqueris, contraria loqueris, Chimæras somniando loqueris.

## S O M N I U M XXV.

**M**Agus planè somniator es, qui in quatuor verbis tam multa somnias. Nam dicas Possidium eos solummodò annos numerasse, in quibus salus, mortuo jam Valerio, Augustinus solitarius Episcopatum administravit. Somnias. Hæc Possidius scribit cap. 30. de Vita Augustini: Vixit annos septuaginta sex; In Clericatu autem vel Episcopatu annos ferme quadraginta: qua verba in hac ipsa pag. 727. adduxisti in priori columna: & quidem ab hoc somnio minimo spatio disjuncta. Porro si vigilas, manifeste vidisses Possidium annos tum Clericatus tum Episcopatus sive cum collega, sive hoc ipso demortuo, unâ numerali nota scilicet ferme quadraginta, designasse. Ubi, quæso te, Possidius numerat annos solitarii Episcopatus Augustini? Doce nos, si potis es, ex Possidio hunc distinctum annorum numerum. Vah quam longa te insomnia fallunt!

## M A C E D O .

**Q**uod se unus adhuc supererat, satis etiam videntur esse tres presbyterii, & Episcopatus quinque; nam ille extitus fuit itineribus, preparationibus, occupationibus, que multa solent intervenire in statuum vita mutatione, qualis erat ille Augustini, cui relinquenda erat patria, & agri vendendi & ex eis pecunia ad publicum redigenda, ac Monasterium edificandam.

## S O M N I U M XXVI.

**A**ugustinus amicum ad Monasticam vitam traducturus, Hipponem veniens, à populo apprehensus, ordinatus fuit Presbyter. Rem narrat Possidius cap. 4. Eum tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt. Et statim: Et eorum TUNC, ut voluerunt, completum est desiderium. Itaque Augustinus factus est repente Presbyter, cùm de eâ dignitate obtinendâ ne quidem cogitaret. Jam tandem evigila, ac dico, num ille annus, qui tibi signatur extrinsecis itineribus, preparationibus, &c. computetur inter illos tres presbyterii, vel eisdem praecedat. Si primum eligas; deficit annus ad novennium quod somniando expiscaris; etenim remanent tantum tres presbyterii, ac quinque Episcopatus. At verò clamans: Supersunt ad 46. anni novem pag. ead. col. 1. Si dicas non includi annum illum negotiosum intrâ tres annos presbyterii, certè somnias. Nam si Augustinus à Valerio presbyter ordinatus, iter habuit, se sacrorum voluminum lectione, ac sanctioribus meditationibus ad delatum sibi munus graviter exercendum preparavit, &c. erat verè Presbyter, nullaque nisi facta tibi, ratio suppetit ad annum illum ab annis presbyterii Augustini excludendum. Visne scire quantum temporis Augustinus recens presbyter factus, ad preparationem sibi à Valerio concedi poterit? Ejusdem verba vel dormienti tibi in aures insurso, quibus fortassis exciteris: Ad quod negotium, inquit Epist.

148. ad Valerium, *parvum tempus vel usque ad Pascha impetravi votū per fratres à tua synecclisimā, & venerabili charitate, & minū per has preeas volo.* Valerius Episcopus ubi primū presbyterium Augustino detulit, eundem imposito statim munere fungi volebat. At ille ad se præparandum *parvum tempus vel usque ad Pascha sibi concedi rogabat.* Tu pro tua liberalitate annum integrum donas terendum *itinibus, preparationibus occupatiōnibus, agris vendundis, &c.* Vide ne quām liberaliter somnies?

## S O M N I U M XXVIII.

**I** Epida quædam interpretatio, ac jucundum glossema, quo laudata à me Possidiū verba circumscribis pag. 672. col. 1. cogit me extrā tuum Itinerarium unico tantum passu deflectere; cur enim de proximo præclarum somnum non accersam? Verba Possidiū sunt cap. 4. *Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt.* Hæc ita interpretari: Deinde observa: Ut in talibus consuetum est, que verba non quadrant nisi in Clericos, quos mos est eligere, & consecrare; Et statim: *Etabilus erat Augustinus.* Idem glossema reperis pag. 698. col. 2. ubi in fine alterius pag. 699. ais: *Judico Augustinum cum ad Ecclesiam Hipponensem pervenit venisse jam initiatum minoribus ordinibus: non verò Laicum purum & secularem.* O senex somniculose! In quibusdam provinciis antiquitus in usu erat, instantē necessitate novi presbyteri eligendi, populum, coitione factā, quempiam virtutum famā probatum, per vim corripiere, & statim Episcopo ordinandum offerre. S. Paulinus Epist. 35. inter Augustinianas ait: *Nam ego et si à Delphino Burdigalica baptizatus, à Lampio apud Barcinonam in Hispania per vim inflammat⁹ & subiō plebis ordinatus sum, &c.* Augustinus Epist. 225. ad Albinam scribit plebem Hipponensem vim Piniano intulisse, hospiti licet a peregrino, ut illum sibi ordinandum offerret, ac Pinianum per quempiam sibi significasse: *Se velle populo jurare, quod si esset ordinatus invit⁹, ex Africa discederet.* Paulinus s. Hieronymi frater à S. Epiphaniō vi apprehensus, ac ore obturato, ne reclamaret, ordinatus fuit ex Epist. 60. apud Hieronymum. Hinc patet sensus verborum Possidiū, cùm ait *Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus, hoc est, his qui inviti per vim, ac populi tumultum ad clericatum destinabantur, Episcopo ordinandum intulerunt.* Has verò ordinaciones per vim nou modū Romana Ecclesia, verū etiam Majorianus Imperator in Novellā secundā prohibuerunt. Itaque somnias, cùm dicis *in talibus*, id est, Clericis, addens aliud statim somnum, nempè Augustinum, cùm Hipponem venit, fuisse è talibus, id est, Clericū initiatū minoribus ordinibus. Possidiū Episcopus eo ipso laudato capite ait plebem per vim apprehendisse Augustinum: quoniam & idem in populo securus & ignarus quid futurū esset, astabat. Solebat autem Laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantum Ecclesiis, que non haberent Episcopos, suam abstinentē presentiam. Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt. Igitur somnias Augustinum ante presbyteratum unum è Clericis, ac jam initiatū minoribus ordinibus. Reponis nomen Laici posse convenire Clericis ante susceptos Ordines sacros, id est potestate, quia possunt transire ad Laicos, qui tales simpliciter sint, nempè seculares, somnias. Nusquam in veteris Scriptoribus invenies minores Clericos Laici nomine nuncupatos. Inde Monachos, quamvis seculo renuntiasent, si non esent ullo Ordine iniciati, Laicos tum Synodi, tum

Patres appellabant. Unus te alloquatur, de quo sole cogitatione somniare, Augustinus, qui scribit lib. 2. de orig. animæ cap. 1. se duos libros accepisse: *Mittente, inquit, mihi eos fratre nostro Renato, homine quidem Laico, &c.* Idem verò lib. 2. Retract. cap. 56. nominat eosdem duos libros, quos, sit, *mihi de Cesarea Regnatus Monachus misit.* Præterea, cùm dormiendo finem feceris, petam abs te, à quoniam Episcopo Augustinus ordinatus fuerit Clericus; Num à Valerio Episcopo Hipponensi, vel ab Antistite Tagastensi, in cuius diœcesi triennium vixerat, antequam Hipponem veniret? Utrum eligas, somniabis in historia Ecclesiæ Africanæ. Nam si à Valerio fuerit apud Hippo-nem Clericus ordinatus; non potuisset ad triennium ferè in agro Tagastensi vitam agere; siquidem suisset Hipponensi Ecclesiæ incardinatus. Extat verò canon 37. Concilii III. Carthaginensis: *Ut Clerici in aliena civitate non immorentur.* At si ab Episcopo Tagastensi ordinatus suisset, haud fas erat Valerio eundem suæ Ecclesiæ Hipponensi presbyterum aggregare ex canon. 21. Ibid. *Ut Clericum alienum, nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita.* Dices hoc Concilium celebratum A. 397. Augustinum verò ante sexennium presbyterum ordinatum. Etiam somniabis. Nam Epigonius Episcopus cap. 54. in eodem Concilio ait: *In multis Conciliis hoc statutum est; nempe: ut Clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus præter eius arbitrium, cuius fuerit Clericus.* Si somnies Valerium scripsisse ad Episcopum Tagastesem, ut Augustinum suum licet Clericum, permitteret; res tibi somniando peracta est. Ipse tamen Augustinus nullum dubitandi locum relinquit in Epist. 225. ad Albinam, cui hæc de suis Hipponensibus scribit: *Neque in hoc invidebunt Ecclesia Tagastensi, qua carnis patria mea est, sed cùm illa Clericatum mihi non imposuisset, quando potuerunt, habendum invaserunt.* Igitur Augustinus non fuit Clericus Tagaste. Hac de re somnias hircocervos. Scribis pag. 689. col. 1. Versu II. *Jam ergo venerat Hipponem initiat⁹, & in ordine Clericali, inferiori tamen, constitut⁹.* Et col. 2. vers. 39. *Venit itaque Hipponem Laicus Augustinus.* Dum somnias hominem, qui una simul fuerit Laicus & Clericus, somnias in Ecclesia hircocervum, cùm quilibet minores Ordines suscipiens, ipso facto desineret & esse & dici Laicus. Denique pag. 671. col. 2. vers. 24. *Venit, inquit, Hipponem regium; venit ergo Laicus non Cœnobita.* Somnias Augustinus serm. 49. de diver. exponens causam, cur Tagaste Hipponem venisset, ait *Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in Monasterio.* Erat igitur Augustinus Monachus in Monasterio Tagastensi, cùm Hipponem venit. Erat tamen Laicus, qui nomine nuncupabantur Monachi Ordinibus Ecclesiasticis non initiati, ut S. Doctor Renatum vocavit. Hæc dudum nostri scriptores prænotarunt, quorum libros si vigilans evolvisses, non ea de Augustino paradoxa somniasses.

## S O M N I U M XXIX.

**I**n eisdem verbis aliud nescio quid somnias, cuius ne tu quidem idoneus interpres es & possis. *Quod si unus, inquis, adhuc annus superat, satis etiam videntur esse tres presbyterii, & Episcopatus quinque.* Cui bono anni isti quinque Episcopatus? Appellafne quinque anni, quibus velis Augustinum cum Valerio Coepiscopo sedisse? At ante duodecim versus dixeras saltem esse tres; cur tam citè in quinque mutantur? Num

Num intelligis tres cum Valerio, ac binos, quibus solus Ecclesiam administravit? Nec Pythius Apollo, nec Sybillæ ad eò obscurè, ut somniando facis, oracula emiserunt. Illud somnatum in Breviario Romano novenatum in nova te iterum somnia impellit. Nam ponis quinque Episcopatus, tres antea annos presbyterii, ac unum, extritum itineribus, præparationibus, &c. Ex quibus novem anni constarunt, quos Breviarium assignat Clericatu s. Augustini ante Episcopatum, quem eo anno obtinuit, id est, quadragesimo sexto. Laboras ergo in novenno explicantando, quod ex anno extrito, tribus Presbyterii, ac quinque cum collega Valerio compingis, ubique tamen, ut jam ostendi, somniando.

## M A C E D O .

Ibidem **U**t sit h.e. dissimilitudo supputandi Breviariorum Romanorum & Possidionis, narrando annos, nihil turbat numerum annorum vita Augustini scil. 76. penè consecutos, id est, ante quadrimestri inchoatum Novembri.

## S O M N I U M XXX.

**H**ec Breviarii Romani, ac Possidii dissimilitudo huius tibi singitur, quæ tamen tanta tibi somnia immisit, qua modò, velis, nolis, excutiā. Augustinus A. 388. Tagastem reversus est, ac in paternis agris ferme triennio vixit ex Possidio ejus discipulo cap. 3. Ineunte anno 391. ordinatur presbyter à Valerio Episcopo, à quo parvum tempus vel usque ad Pascha petit, ut ad delatum munus laudabilius exercendum sese præpararet, ex Epist. 148. Fit Episcopus A. 395. teste S. Prospero Augustini synchroño & amico, cuius verba ab Somnium 24. recitavi; & quidè mensie Decembri, quod colligitur ex hom. 25. inter L. quam anniversariā die sua ordinationis, uti & superiore ad populum habuit; ibi enim ait: *Natalis Domini imminent.* Illum A. 392. fuisse presbyterum patet ex actis publicè cum Fortunato Manichæo, quem tomo 6. inchoantur: *Quinto Kal. Septemb. Arcadio II. & Rufino V. C. Conf. habita disputatio adversus Fortunatum Manichæorum presbyterum in urbe Hipponensem regiom.* &c. quam disputationem tempore presbyterii testatur se habuisse Augustinus lib. 1. Retract. cap. 16. Possidius cap. 30. scribit: *Vixit annos 76.* In Clericatu autem vel Episcopatu annos ferme 40. Nam cùm ordinatus fuerit Presbyter ineunte anno 391. & obierit A. 430. die 28. Augusti, habemus annos 39. ac menses circiter septem: & rectè Possidius dixit ferme quadraginta, quod deerant aliquid menses ad annum quadragesimum complendum. Breviarium vero ait: *Vixit annos septuaginta sex, in Episcopatu ad triginta sex.* Auctores Lectionum Breviarii, quod sciebant ex Prospero Augustinum creatum Episcopum A. 395. mortuum vero A. 430. cùm de mense eiusdem non constaret, partem primi, ac partem postremi anni Episcopatus rotundo numero designarunt, quod sàpè ab historicis sit, qui mensum rationem plerumque non habent, uti Chronologi solent. Ettu quoque scribis Augustinum vixisse annos 76. penè consecutos, id est ante quadrimestri inchoatum Novembri. Vocas quadrimestre spatiū temporis, quod tamen à die obitū 28. Augusti ad diem Natalem Augustini decimum tertium Novembri, non est quadrimestre, sed tantum bimestre, ac dierum undeviginti. Verum quia dies quatuor Augusti, ac quindecim Novembri supra duos menses medios in illo spatio includuntur, quadrimestre appellasti, quamvis perperam ac barbarè id expresseris: *ante quadrimestri inchoatum Novembri.*

cum scribere debuisses: terminandum mense Novembri, hoc enim mense non inchoabatur postremum illud quadrimestre, sed die 28. Augusti. Sed cùm ubique somnies, in Grammatica quoque dormitas. Hoc tamen omisso, jam vides nullam dissimilitudinem in numero annorum inter Possidium ac Breviarium reperi, sed annos Episcopatus quos ille cum annis Clericatus conjunctè ponit, istud separatim designare, annis tamen Clericatus nullo planè numero indicatis: Episcopatus vero annis utroque termino inclusu numeratis, nempe ab A. 395. ad A. 430.

## M A C E D O .

**P**uta enim rationes ab anno 388. quo anno Augustinus est baptizatus usque ad annum 431. invenies annos quadraginta tres, quibus si addas tres post triginta, qui est annus baptismi, efficiunt quadraginta sex. Sume triginta, qui supersunt à nativitate, colliges septuaginta sex, quae est justa summa annorum vita Augustini, & demum redis ad initium natalis ipsius, qui fuit annus 355.

## S O M N I U M XXXI.

**G**ratulor tibi de annis quadraginta tribus Augustini; siquidem iam tandem tam bene ante a soporatus, incipis vigilare. Nam cùm in eadem pagina dixisses ab A. 388. ad 431. numerari quadraginta sex annos uti notavi ad Somnium 17. & posteò somniales annos novem Clericatus Augustini in Breviario Romano, ac tres, dein quinque Episcopatus cum Valerio, annum extritum itineribus, præparationibus, ac plura alia portentosa somnia; jam à nescio quo perito artis calculatoriæ monitus, ab A. 388. ad A. 431. annos tantum quadraginta tres supputasti. Quod si tuo Marte tam rectè calculos subduxisti, etiam atque etiam rursus gratulor, quod in eadem prorsus pagella citò ciuitatis tantos in Arithmeticâ progressus feceris. Sunt tamen duo, quorum te admonitionem velim. Primum ne adeò pueriliter ac veluti in digitis numeros supputes. Nam cùm dicis: *Invenies annos quadraginta tres, quibus si addas tres post triginta qui est annus baptismi, efficiunt quadraginta sex. Sume triginta qui supersunt à nativitate, colliges septuaginta sex.* Vix pueri ita rationes putarent; nam si ponas annos 43. & addas tres post triginta, idem est ad dicere, *tres supra triginta;* qui numeri additi efficiunt septuaginta sex; non autem quadraginta sex. Verum ex tribus ac triginta, tu tres prius sumis, ut habeas numerum quadraginta sex. Ejicito prorsus è mente huncce 46. annorum numerum, qui tibi sanè climaëticus fuit, ac periodum ita restitue: *Invenies annos 43. quibus si addas tres post triginta, qui est annus baptismi, efficiunt 76. quae est justa summa.* &c. Cætera expunge; cùm sint puerilis tautologia. Verum incipis iterum dormitare, cùm ex illa supputatione colligis annum Natalem Augustini 355. Nam Rivius ait Augustinum baptizatum anno 388. etatis sue 33. completo, unde annum Natalem ponit 354. nec tu de illo anno 33. num completo, an incompleto, ne quidem dubitalisti, sed pro incompleto, seu recurrente citrâ dubium illum supposuisti. At falsum est anno 388. baptismum Augustini contigisse, cùm anno 387. deputandus sit ex superiori demonstratis ad somnum 9., 10. & 18. & proximè rursus ostendam.

## M A C E D O .

**I**tanatus est anno 355. baptizatus anno 388. mortuus Ibidem anno 431. quod si quis negare audeat oportet ut revertat totam rationem chronologiam Augustini, quam ipse met

# Quinquaginta Somnia

*met init , & testatam reliquit : quemadmodum haec tenuis  
demonstravimus.*

## S O M N I U M    XXXII.

**N**on Augustinus, sed Gabriel Pennotus hanc rationem Chronologiam initit, scribens lib. 1. cit. cap. 4. de Augustino. *Mea sententia est B. Augustinum A. Christi 431. die 28. Augusti obiisse, quia anno Christi 388. erat Roma, illo anno baptizatus, quo anno incidit obitus Maximi Tyranni in mense Augusto, at ille fatur lib. 3. con. lit. Pet. cap. 25. & baptizatus est in annis triginta tribus, & vixit Ann. 76. unde oportet illius obitum in Ann. 431. non in 430. referre. Quo supposito, si B. Augustinus anno Christi 431. die 28. Augusti obiit, necesse erit illius diem natalem in Ann. 355. Ibid. Novemb. incidisse, &c. Itaque tuam illam Chronologiam non Augustinus, sed Pennotus initit, & somnaculosis testamento reliquit. Porro quid tu hactenus demonstraveris, nemo non intelligit, videlicet pura puta somnia, caue portentosa quae vel tibi si quandoque vigiles, horrorem, vel certe stuporem incutiant. Augustini chronologia tibi prorsus incognita, ex ejusdem libris elicetur, eaque paucis exhibeo. Augustinus Tagaste in Africa natus est anno 354. Ibibus Novembri Constantio Augusto VII. & Constantio Cesare III. Coss. Idem vero testatur se annum undevicesimum agentem, lecto Ciceronis Hortensio, spretu divitiarum cupiditate, ad solam sapientiam magno impetu anhelasse. Verba adduxi ad Somnum 3. Kalendis Januariis A. 373. annum undevicesimum agebat ante dies 49. inchoatum Lib. 4. Confess. cap. 16. testatur se annos natum fermè viginti Categories Aristotelis, ac disciplinas Geometricas, Musicas, Arithmeticas, proprio Marte, sine magistro didicisse. Habes annum 374. Initio lib. 4. Confess. ait: *Per idem tempus annorum novem ab undevicesimo etatis mea, usque ad duodecimum, seducebamur, & seducebamus falsi, atque fallentes in variis cupiditatibus, &c. Annus 28. labebatur Augustino A. Christi 382. Rursus lib. 5. caput tertium ita inchoat: Proloquar in conspectu Dei mei annum illum undevicesimum etatis mea. Jam venerat Carthaginem quidam Manichaorum Episcopus Faustus, &c. addit se cum eodem ibidem postea collocutum de opinionibus Manichaeorum, quas Faustus ab Augustini dubiis, qua eā in sectā patiebatur, expedire non potuit. Eo vero anno diutius se cum Fausto vitam egisse cap. 7. testatur: Capi, inquiens, cumeo pro studio eius agere vitam, quo ipse flagrabat in eas literas, quas tunc jam Rhetor Carthaginis adolescentes docebam, & legere cum eo, si que ille audita desideraret, sive que ipse tali ingenio apta existimarem. Inferius autem cap. 13. ait se delectatum, cum postea Mediolani S. Ambrosii orationes audivit, suavitate sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis, arque mulcentis, quam Fausti. Itaque annum etatis 29. Carthagine egit cum Fausto, nemp̄ Christi 383. Idem lib. 6. Confess. cap. 9. scribit: *Et ecce jam tricenariam etatem gerebam in eodem luto habens apuditatem fruendi presentibus, fugientibus, & dissipantibus me, dum dico: Cras in veniam: ecce manifestum apparet, & tenebo, & ecce Faustus veniet, & exponet omnia. Vocat jam tricenariam etatem, quia recurrente 29. iam jam acturus erat annum trigesimum. Idem vero lib. 5. cap. 8. ita exorditur: Egisti ergo tecum, ut mihi persuaderetur Romanum pergere; quod paulo post etiam transmisit. Num id contigerit labente Autumno A. 383. vel aperiente se mare, A. 384. in medio relinquendo, Romam periculofo morbo decubuit, à quo re-***

creatus, Manicheis quidem se adhaerere simulabat, cum tamen mente iam ad Academicos transisset, de omnibus dubitans, ac quidpiam certi assequi se posse desperans. Ibid. cap. 9. & 10. Scholam igitur privatam in Urbe aperit, ubi tamen offendit discipulos cum aliquamdiu scholam frequentassent, pax tam mercedes fraudantes, ad alium praceptorum, facta coitione, transire. Interēt cum Symmachus rogatus fuisset Oratoriæ artis professorem Mediolanum mittere, contigit, ut dictione proposita, inquit cap. 13. me probatum Praefectus tunc Symmachus mitteret. Lib. 5. cap. 13. Symmachus urbis praefecturam administravit A. 384. ex LL. 44. de Appellat. & 4. de sent. ex periculo, datis ad eundem Praef. Urbis Richomere & Clearcho Coss. Cod. Theod. quibus Consulibus Augustinus annum 30. etatis exegit. S. Doctor lib. 3. con. lit. Petilianus cap. 25. ait: *Cum ego Mediolanum ante Bautonem Consulem reverim eique Consuli Kalendis Januariis laudem in tanto conventu conspiciique hominum pro mea tunc Rhetoricā professione recitaverim. Bauto consul collega Arcadii Augusti, magistratum capessivit A. 385. Augustini tricesimo primo ante dies 49. inchoato. Ex allato Augustini testimonio patet eundem A. 384. Mediolanum venisse, ac elapsis feris vendemalibus, Rheticam cathedram insedisse, ac de more ineunte anno, Bautoni Consuli magistratum auspicanti, panegyrim recitasse. Hæc Chronologia est ex ipsius Augustini libris deducta, ac illius annum natalem recto filo retrahit ad Idus Novembri anno 354. Nam si A. 355. natus fuisset, anno vigesimo nono exente, ac jam tricenariam etatem agens, Christi 384. fuisset Rhetor Carthagine, ac Fausto convivens, ab eo dicendis discens, cum tamen A. 384. Roma fuerit, ubi post agritudinem convaluit, scholam aperuit, aliquandiu docuit, magnâ jam sui nominis famâ per Urbe resonante, ita ut & Symmacho innotuerit, ac probatus, Mediolanum missus fuerit; ubi incumbente Autumno, publicum Rhetorem agere cepit. Et sanè ut postea Mediolani fecit, Carthagine anno 383. etatis suæ undevicesimo seriis vendemalibus docendi munus abdicavit, anno stipendio expleto. Quod scimus Symmachum A. Christi 384. fuisse Praefectum Urbis, descripta Augustino Chronologia ad hunc annum veluti ad regulam certissimam dirigenda est, quam cum Macedus non observasset, depravatam Pennoti Chronologiam somniando fecutus est. Denique lib. 8. Confess. cap. 7. narrat se Potitiani verbis ad Christianam fidem, ac Catholicum dogma conversum, & tempus designans, ait: *Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, forte duodecim anni, ex quo ab undevicesimo anno etatis mea lecto Ciceronis Hortensio excitatus eram studio sapientiae &c. Ab anno undevicesimo duodecim postea annis effluxis, agebat Augustinus annum etatis trigesimum secundum, qui cum id temporis fuerit, seu adhuc decurseret, inter illos duodecim non numeratur, quos ab anno undevicesimo ad eum, quem tunc agebat effluxos, sive praeteritos ex integro, contestatur. Ille vero A. 386. annum alterum supra trigesimum agebat. Ibidem vero capite statim infraquenti octavo narrat se eā voce divinitus lapsā: tolle, lege, plenè conversum, ac de abdicandâ professione Rheticâ proximis jam vendemalibus feris cogitasse, quæ lib. 9. cap. 2. fusiū prosequitur. Tum cap. 3. ait se rus Cafficiacum Mediolano digresum, ubi diem suum Natalem celebravit Idibus Novembri ejus A. 386. quum tertium supra trigesimum auspiciaretur, qua de re plura prænotavi ad Somnum III. Hinc etiam annus baptismi S. Doctoris manifestè statuitur CCC.**

CCCLXXXVII. Et profectò nec melior, nec solidior Chronologi ex ejusdem Augustini libris à quocum colligi potest, à qua nullus nisi somniando defecit.

## M A C E D O .

P. 48.  
728.  
col. I. **F**acor me prius inclinasse in sententiam eorum, qui designant annum mortis Augustini 430. propter obiectiōnēm proximē mībi proponendam. Sed mātūrē re consideratā, & testimonii Augustini ex pēnsis, & collatis cum narratione Possidoniī, & supp̄atione Breviarii, deprehendi illam sententiam, quae placere cōperat, cū manifestā Chronologī Augustini pugnare. Itaque huic adhēsi, & annūxī fīxi, & clavum adegi, quem nō posse rēfīgēre.

## S O M N I U M XXXIII.

**H**inc procul me repente proripiam; ne, cūm somniās, huncce tuum clavum mīhi in caput īfigas. Sed mitto hēc tua tam grandia philacteria. Scribis te sententiam priorem mutasse. Quis autem hoc miretur, cūm Augustini etiam vestem mutaveris; siquidem in uno & altero frontispicio primi & secundi Tomi tuarum Collationum, Augustini effigies ære dūcta visebatur cum Augustinianorum Fratrum togā, ac cucullo; at in hoc tuo tertio (non dico postremo, quia brevi quartum emittes, & sorte etiam quintum, ut quatuor libros Magistrī Sententiārum tuorum Theologicorum voluminum numero superes) Canonorum Regularium veste, & ut vulgo dicimus roquet, induita conspiciuntur. Tu sanè fictori pro Augustinianā veste mutāda, aliquot obolos numerasti, cūm sententiam quāmodō tenes priori exutā, Pennōtus gratis tibi donaverit. Illi ergo adhārē plus etiam quād ad scopolos conchæ adhārescunt. At desine clavum, quo eandem in posterorū mentibus figas, jactares nam crassior i tantum immanium somniōrum sputo illam fixisti, quām quilibet possit vel levi oris flatu rēfīgēre. Scribis te id fecisse mātūrē re considerata. Quis præter te mātūrē, hoc est, serid unquam somniavit? Vox illa mātūrē palam indicat, te nova rursus insomnia mātūrare. Addis te à priori sententia rebellaris testimonii Augustini ex pēnsis, & collatis cum narratione Possidoniī & supp̄atione Breviarii, quibus iterum me in thorum somniōrum memoriam inducis, quorum non dicam consutatione, sed solā dudum me narratione delassasti. Dum Possidoniī ac Breviarii testimonia Latinē tantū scientibus notissima, non intelligis, ad incitas licet somniando redactus, paupertati ingenii homo apparuisti. Denique somniās primā illam sententiam cū manifestā Chronologī Augustini pugnare, cūm Augustinianæ Chronologī ne minimum quidē apicem videris, ut prodigio propius videatur, te ea manifesta jactare, quorum tam profundā ignorantia labores. At oleum & operam perdo, qui velim somniāntem monere.

## M A C E D O .

Ibidem **V**enio ad obiectiōnēm, quae me deterrebāt à sententia. & valida specie videtur. Extant literæ Theodosii Junioris missæ per Ebagnum Magistrianum ad Augustinum trāctoria, eum ad Concilium Ephesum vocantis, quae perlatā sunt ad Capreolum Primatem Carthaginensem anno 431, per Pascha ejus anni, quae invenerant jam mortuum Augustinum, & ita rescriptit ad Imperatorem, synodumque Capreolum; igitur anno superiori deceperat Augustinus, nempe anno 430, mense Augusti. Quod mīhi rīsum erat argumentum invīblum.

## S O M N I U M XXXIV.

**T**unc sanè vigilabas, tñm illud argumentum tibi invīblum videbatur. At cūm literas Capreoli dubiæ fidei incusas, indubitanter dormitas. Pennōtus, à quo didicisti obitum Augustini protrahere ad A. 431. Capreoli literas dissimulavit; tu verē easdem non uno somnio eludere pertinas, ut proximē expōnam. Interim quid hī somniās de literis Trāctoriis Theodosii Junioris? Literæ Augustorū, quibus Episcopos ad Synodos invitabant, digniori ac proprio vocabulo, honoris gratiā, nuncupabantur; nempe saepe, aut divales dicebantur. Appellabo exempla literarū ejusdem Theodosii. In prima parte Synodi Ephesina cap. 31. legitur: Exemplum sacra, quam religiosissimus princeps Theodosius ad Cyrrillum Alexandria Episcopum misit, & cap. 32. dicitur: Oēsor χείρισης: Divales literæ, quo modo aliae ejusdem literæ appellantur alibi in gestis ejusdem Concilii. Liberatus Diaconus Carthaginensis in Breviario cap. 5. ait: Scriptis Imperator sacram & B. Augustino Hippone regensi Episcopo per Ebagnum Magistrianum, ut ipse Concilio præstaret sui presentiam. Ita vir doctus proprio vocabulo sacram Epistolam appellavit, quam tu alienā voce Trāctoriam nuncupasti. Cæterum literæ quibus Primates provinciales Episcopos ad Synodus vocabant, Trāctoria vulgo dicebantur. Ita eas appellat Augustinus lib. 1. post collat. cap. 24. Epist. 217. In psal. 36. & non solum in Codice Africano. Cūm Imperator sacram prohabendā Synodo mittebat, Præfecti Prætorio, cūm id in mandatis habebant, Trāctorias Episcopis dabant, quarum beneficio publicā evēctione utebantur. Constantinus in literis ad Ablavium Præf. Pr. pro convocandā Synodo Arelatensi datis, ait: Singulis Episcopis singulas Trāctorias tribus. Quod earum beneficio sine privato impendio, Episcopi terrarum tractus emetiebantur, Trāctoria nuncupatz sunt; ac inde etiam nuncupatæ literæ Primatum ad Synodos evocantium Episcopos; quamvis hi evēctione publicā non uterentur. Verū cur non liceat tibi nomen unius Epistolæ commutare, qui potuisti vestem Augustino mutare, itēmque annos ejusdem nativitatis, baptisimi, ac mortis susdeque variare, retrahere, protrahere, ac clavo etiam figere, quem nō posse rēfīgēre?

## M A C E D O .

**V**erū cūm rem serid examinasset, & rīdissem rā- ibidem  
cillare fidem eorum qui hanc Epistolam producebant, & de amo, quo data esset, ambigere, eaque mīhi suspecta esset, quod esset contraria alii Epistolæ ejusdem Theodosii in scriptis Concilii, cōpi dubitare de fide pri- mā illius Epistolæ.

## S O M N I U M XXXV.

**N**on serid, sed serid, cūm iam te somnus invāsisset, rem examinasti. Verumne, an sicutum sit exemplar Epistolæ Theodosii ad Augustinum, quod apud quosdam recentes Scriptores legitur, nihil tua somnia juvat. Vis argumenti, quod eludere conaris, sita est in responsō Capreoli, qui circa Pascha anni 431. rescriptit Theodosio Augustinum non amplius fuisse superstitem. Verba ejusdem exhibeo ad Somnium 39. Idem etiam in Epistola ad Synodum Ephesinam scribit Literas Imperatoris in diebus Paschæ ad nos perlatas esse, quando faminde usque ad universalem Synodum pīx duorum mensium spatiū supererat. Liberatus Diaconus cap. 5. Breviarii ex Archivis Carthaginensis Ecclesiæ, cuius Diaconus vixit, ipsum literarū Theodosii

dosi perlato rem nominat Ebagnium Magistrianum. At tu somniando dubitas num Theodosius ad Augustinum scripsit? Testatur Capreolus se aperuisse ac legisse literas Imperatoris ad Augustinum; Liberatus virum designat qui easdem Principis literas Carthaginem detulit, & dubitas an Theodosius ad Augustinum literas misserit; & non somnias?

## S O M N I U M XXXVI.

**A**liud insuper somnias, cum dicas priorem illam Theodosii Epistolam tibi suspectam esse, quod esset contraria alii Epistola ejusdem Theodosii insertae Actis Concilii. Eras prout, quia in priori Epistola Augustinus ad Synodum invitatur; in altera vero quedam ab Imperatore schismaticorum literis decepito, adversus S. Cyrillum decernuntur. Sunt igitur disparatae Epistola, non, uti somnias, contraria. Erras iterum dum dicas Epistolam posteriorem esse insertam Actis Concilii. Somnias: Inserta est Actis Conciliabuli, quod Joannes Antiochenus cum suis Syriaicis Episcopis apud Ephesum contra S. Cyrillum confavit. Cum tame Epistola Capreoli in qua S. Augustinus circa Pascha A. 431. non fuisse inter vivos dicunt, inserta sit actioni primae sanctae Synodi. Ad dis vacillare fidem eorum qui hanc Epistolam producent, & de anno, quo data esset, ambigere. Quicquid dixeris de exemplari nuper producto ejus Epistola, nihil ad causam dices. Cum certum sit ex literis Capreoli, ac historiā Liberati Diaconi, Theodosium scripsisse ad Augustinum, easque literas circa Pascha A. 431. in Africam delatas, illum invenisse jam demortuum. Sanctus Gregorius VII. eximiae doctrinae & eruditissimus Pontifex, in decretali Epistola ad Ottoneum Constantiensem cap. 4. ait: *Huic etiam Augustino, ut liber Liberati testatur, Theodosius Imperator per sacram suam mandavit, ut se Ephesino Concilio presentaret; sed heu, tam egregius Doctor ante mundo subtratus est, quam ad illum invictioria Romani principis Epistola pervenisset.* Hec ille in Apologetico Synodi Romanæ. Itaque aut falsus fuit Capreolus, mentitus Liberatus, ac denique Gregorius Papa deceptus, dum S. Augustinum ante Pascha anno 431. mortuum dixerunt; aut tu somnasti putans eundem id temporis superstitem fuisse.

## M A C E D O.

**S**ibidem **C**ausas aperio. Prima est, quia illa posterior esse dicitur, quam alia data ad Cyrrillum, & alios Episcopos Orientales XIII. Kal. Novembris, cum dari prius debueret ad Augustinum, qui in alieno imperio, & quasi alio Orbe vivebat, cuiusque major ratio habenda erat, propter doctrinam & auctoritatem, quam summam obtinebat.

## S O M N I U M XXXVII.

**T**heodosius, ut ipse ait cap. 32. prima pars ejus Synodi, ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scriptis. Cum vero forte a Cyrrillo, accepisset Augustinum peragendas Synodo necessarium esse, ad eundem quoque privatum licet Episcopum, sacram destinavit. At tu quod literæ ad Orientales datae, prius scriptæ videntur, somnias unum ante mensem easdem scriptas; narras enim illas datas XIII. Kalend. Novembris, cum rapisce legantur: *Data Constantinopoli XIII. Kalen. Decembris, consulatu DD. NN. semper Augustorum Theodosii quidem XIII. Valentini vel III.* Cum somnum excusseris, Novembris expuncto, Decembrem reponas.

## M A C E D O.

**S**ecunda, quia in responsione Capreoli, vox est incepta, ibidem cum dicat ad Synodum: Domini & Filii nostri Imperatoris Theodosii, que conjunctio Domini & Filii dissona est; nec appellatio Filii Capreolo congruebat Carthaginensi Episcopo, cum vix eo tempore Romano Pontifici conveniret. Nimirum sibi arrogaret Capreolus, si nomine Imperatorem Orientis afficeret.

## S O M N I U M XXXVIII.

**N**on est incepta vox Capreoli, nec conjunctio Domini & Filii dissona; sed tu incepta ac dissona somnias. Ohe: jam satis obdormivisti; depelle jam somnum; oculos perfica, ac lege in tomo 2. operum S. Augustini plures titulos, seu inscriptiones Epistolarum ejusdem Patris: *Domino dilectissimo & desideratissimo filio Palatino, Epist. 208. Domino dilectissimo Romulo filio, Epist. 211.* Idem *Domino ac Filio* inscribit Epistolas 70. 123. 124. 129. 158. 160. 210. 212. Imo etiam ad foeminas scribens, vocem utramque jungit: *Domina religiosissima filie Eccliae: Epist. 199. 132. & 143.* Tunc ille unus homo es, quem delectat de Augustino & meminisse, & loqui, & cogitare, in modo pro consuetudine somniare? Hac sanè vice de Augustino nec meministi, nec cogitasti, & non modò de eodem, sed etiam in codem pro consuetudine somniasti. In Novella secunda Theodosii ad Valentianum, quibus imperantibus Augustinus ac Capreolus vixerunt, legitimus *Domine sacratissime Fili Auguste.* In Epistola 6. Vigilii Papæ ad Auxanium: *Christianissimi Domini Filii nostri Imperatoris.* Et inter ejusdem Vigilii Epistolas profant literæ Pontiani Episcopi privati in Africa cum inscriptione: *Clementissimo, atque piissimo filio Valentianino Imperatori Pontianus Episcopus in Domino salutem.* S. Ambrosius in orat. de obitu Valentianini: *Sed ad vestram, inquit, sancte Filiæ, consolationem revertar.* Et iterum: *In nobis est, Filiae, ut fratrem vobis jam nemo possit auferre.* Erant illæ Valentianiani senioris filiae, ac junioris & Gratiani Augustorum sorores.

## M A C E D O.

**T**ertia, quia hæc Epistola pugnat cum illa alia inducita eisdem Imperatoriis ad Cælestium Papam, Rufum Vicarium per Illyricum, & Augustinum & reliquos, quæ missa fuit post inchoatum, in modo penitentiale Epesinum Concilium, idest mense Julio A. 431. uno ante obitum Augustini mense, quod argumento est, nondum innotuisse Theodosio, neque Orientalibus mortem Augustini. Qui ergo potuit per Pascha ejusdem anni, quo sunt ei redditæ literæ Capreoli per Ebagnium missæ, de Augustini obitu, quæ vulgaris opinio est, rescire? Non ergo deceaserat anno illo priore 430. Augustinus.

## S O M N I U M XXXIX.

**M**agnus es somnior. Extat in actis Conciliabuli apud Ephesum Epistola Theodosii cum epigrapha: *Cælestino, Rufo, Augustino, Alexandro, &c.* data mense Julio A. 431. Hanc vocas indubitatum; illam vero Capreoli, que inserta est actioni primæ sanctæ Synodi Ephesinae, mibi, inquis, *suspecta, accipere de fide illius dubitare.* Imo viri docti dubitant de illo nomine Augustino quod in illo titulo legitur; nam in quibusdam Græcis exemplaribus habetur: *Augustianus*; atque ita scribitur in novissima editione Labbeana tom. 3. Concil. pag. 722. ubi non Augustinus, sed Augustianus legitur. Ferrandus Diaconus Carthaginensis S. Fulgentii amicus, idemque scriptor insignis

Insignis in Epistola ad Pelagium & Anatolium laudat literas: *Beatae memoriae Capreoli Clementissimo Principi Theodosio scribentis*: Et postea ait: *Et in alia Epistolâ ad Ephesinum Concilium per Bassulam directâ Diaconum*; ubi utriusque Capreoli Epistolæ fragmenta recitat. Liberatus itidem Diaconus Carthaginensis non solum carundem literarum meminit, verum etiam hominem nominat à quo perlatæ sunt, scribens cap. 5. Breviarii Causæ Nestorianorum & Eutychianorum: *Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audivit à Capreolo ipsius urbis Anisilite, beatum Augustinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum, acceptisque ab eo ad Imperatorem literis loquentibus de obitu B. Augustini, Constantinopolim, unde venerat, rediit. Nemini statim etiam Epistola ejusdem Capreoli ad Synodus Ephesinam. Itaque Theodosius Imperator adveniente Ebagoia, ex literis Capreoli ante Julium mensē A. 431. intellexit S. Augustinum obiisse. In Ephesinā etiam Synodo universi Patres ibi degentes, in primā actione habitā die 22. Junii, dum in literis Capreoli legeretur: Primum enim Domini & Filii nostri religiosissimi Theodosii Imperatoris literæ ad manus nostras pervenerunt, ejusmodi erant, quæ beatæ memorie fratris & Coepiscopi nostri Augustini presentiam peculiariter efflagitabant. Verum cùm ea literæ illum jam tum è viuis excessi se comperissent, &c. Tu vero dicas mense Julio A. 431. nondum innotuisse Theodosio neque Orientalibus mortem Augustini. Profectò si Orientales Episcopi, quemadmodum tu oculos somnianto claudis, aures obturasset, Augustini mortem, dum à Primicerio Notariorum legebantur literæ Capreoli, non intellexissent. Cùm vero Ebagnius Constantinopolim rediit, nonne Theodosius Imperator obitus Augustini certior factus fuit? Evidèm quis te somnialse neget, qui Epistolam Capreoli suspectam dicas, quam gestis Synodalibus Patres Ephesini inservierunt, quam Ferrandus ac Liberatus Carthaginensis Ecclesiæ, quam Capreolus administraverat, Diaconi ex ejusdem Archivis laudarunt, cùm uterque etiam proximo ab Augustini obitu saeculo floruerit? Qui autem, inquis, fieri potuit, ut Augustinus in epigraphe Epistolæ à Theodosio scriptæ mense Julio A. 431. nominaretur, si ille ante annum è vita migrasset? Jam tibi responsum est, dubiam & variam esse ejus nominis lectioñem. At quod nusquam Augustiani Episcopi nomen in verutis ejus saeculi monumentis apparet, dicendus est errasse scriptor literarum Theodosii, secutus formulam inscriptionis anno superiori designatae, cùm nondum Augustini obitus Constantinopoli innotuisset. Et planè somnias, dum de scriptor illius Epistolæ Augustini obitum apud Constantinopolim credatur ignorasse, fings Capreolum Carthaginensem Primatem falsum de Augustini morte nuntium ad Theodosium remisisse.*

## M A C E D O .

**Q**uarto, quia vix credibile est, tandem latuise obitum illius Solis, ut intrâ decursum anni solaris in occulto esset, cùm ejus lux sole clarior foret, qui si deficeret, statim nox in Ecclesiam incubuisset. Sanè rebeat illo anno 430. exente, & incuite, imò adulto A. 431. donec ad mensem Augustum pervenit.

## S O M N I U M X L .

**M**ultum loquentia vales, cùm etiam somnando tam bellè rhetoriceris. Augustinus sol erat Ecclesiæ Latinæ, Cyrillus Graecæ. Neutrius libri in alterius nationis idioma versi erant; fama tamen

in suo uterque Orbe supra alterum splendebat: *solumque suum sua sydera norunt*. Ille ergo Occidentalibus, iste Orientalibus notior. Hinc Augustini, qui in Occidentali imperio vivebat obitus, non tam citâ Græcis, ac Theodosio Imperatori innotuit, cùm præsternit Primates, qui Principis aures occupabant, parvum de Augustino curarent, imò vix nomine tenus notum haberent. Quousque tamen dices: *Sanè rebeat illo anno 430. exente, &c. sanè haud sanâ mente somniabis*.

## M A C E D O .

**U**nus obstat, quod literæ Capreoli sunt idoneæ, *Ibidem* non apocryphae, nec suppositæ; ha autem perspicue tradunt deceatum Augustini. Respondeo me nolle improbare literas Capreoli, sed rem in eis contentam. Puto Capreolum ita existimasse, nec temere, quia cùm inaudisset irruptionem Barbarorum in eam partem Africae, & propter artissimam Hipponis Regis obsidianem incerti nunciū eſſent, & Augustinus inclusus teneretur, & jam fortasse agrotaret, è conjecturis sibi persuasile mortuum esse, ac de eo moruīsse Imperatorem. Non igitur de re certior factus, sed conjecturi ductus, aut minus veris nunciis credulus obitum Augustini affirmavit.

## S O M N I U M X L I .

**J**acto lapide, manum retrahis, & occultas. *Dicis te nolle impobare literas Capreoli.* At superius conjunctionem diffonam Domini & Filii vellicabas, ut non tantum rem contentam, sed ipsas planè literas suspectas faceres. Dubitabas de literis Theodosii ad Augustinum, quod posterius quād ad Orientales datae dicebantur. Jam impetum somnandi remittis, ac obitum tantum Augustini in illâ Epistolâ assertum inficiaris. Capreolus qui id temporis vivebat, qui Carthagine urbe proximâ Numidiæ, ubi Augustinus erat Episcopus, sedebat, falsos de Augustini morte nuntios accepit, qui omnium Ecclesiâ Africae curam gerebat, ac omnium inibi Episcoporum ordinationes probabat, is, inquam minùs veris nuntiis credulus obitum Augustini affirmavit. At tu nuntianti tibi Pennoto Augustinum obiisse anno 431. cum plausu credis, affirmas, & magnâ voce inclamas. Nonne, ô bone, dormitas, & somnia narras? Num vigilans oculos in Chronicon S. Prosperi quandoque donjecisti? Sribit: *Theodosio XIII. & Valentiniano III. Augustinus Episcopus per omnia excellensissimus moritur V. Kal. Septembribris libris Juliani inter impetum obsidium Vandalarum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriose in defensione Christianæ gratia perseverans.* Et statim: *Basso & Antiocho: Congregata apud Ephesum plus CC. Synodo Sacerdotum, Nestorius, &c. damnatur.* Constratus Theodosii XIII. & Valentiniani III. est character infallibilis anni vulgaris Epochæ 430. insequens consularius Bassi & Antiochi signat in fastis annum 431. Si tanto verborum Prosperi tonitru non excitaris, non jam somno, sed mortali planè lethargo opprimeris. Is est Prosper Augustini, ejusque doctrinæ cultor eximius, ac post illius obitum defensor acerrimus, cui etiam Augustinus libros de prædestinatione Sanctorum, ac de dono perseverantiae nuncupavit. Ille quidem annos tantum mortis Romanorum principum, non mensem, non diem obitûs designavit. A. 392. *Valentinianus laqueo apud Viennam perire*; A. 395. *Theodosius Imp. Mediolani moritur*; A. 408. *Arcadius Imp. Constantinopoli moritur*. A. 423. *Honorius moritur, &c.* At Augustini sui obitum V  
narrans,

narans, annum, mensem, ac diem denique in literas misit. Imò etiam exposuit eundem, cùm postremo morbo correptus fuit, apologeticos libros contrà Julianum adornasse. Consulatus XIII. Theodosii, & tertius Valentiniiani Augustorum est planè clavus trabalis, quo S. Prosper obitum Augustini sui fixit in Anno Christiano 430. die 28. Augusti, quem certè clavum nemo posse, nisi tecum somniando, refigere.

## S O M N I U M X L I I .

**S**cribis Capreolum falsò putasse Augustinum è vitâ migrasse, cùm propter arctissimam Hipponis Regis obsidionem incerti nuntii essent, & Augustinus inclusus teneretur, & jam fortasse ægrotaret. Extat sermo C XI. de Temp. quem, ut eruditè Baronius observavit, S. Augustinus ad Hipponeenses jam à Vandaliis obsidione cinctos, recitavit; in quo ait: *At cum oculos nostros dira calamitas & obsidionis percusserit, & nunc tempore mortalitatis affligat, &c.* Hic vero sermo inscribitur habitus feriā quinta post Dominicam passionis; nempe die decimo ante Pascha. Attu pro arbitrio eundem id temporis ægrotasse commentaris, cùm Capreolus scribens per festa Paschalia, quod ægrotare illum intellexerat, mortuum afflavit. Num dices è pulpito improvisâ febre corruptum, in lectum se recepisse? Auctor est Possidius, qui cum Augustino à Vandaliis inclusus fuerat, S. Doctorem tertio illius obsidionis mense decubuisse febribus; cap. 29. Si adulto Aprili ægrotare capit, obsidio inchoata fuerat mense Januario. Næ tu artem militarem calles, qui sanguine hyeme munitissimum urbem, quæ nec decimo quarto obsidionis mense expugnari potuit, teste codem Possidio, militari coronâ cingis? Bonifacius Comes vir bello strenuus, urbem cum numeroso praesidio propugnabat. Nullusne hic nuntios sursum, praesertim quæ hostili classe non adeò arcta custodiâ mare claudebatur, Carthaginem emittere poterat, ut Proconsuli Africæ obfessæ urbis statum subinde significaret, ac Augustini etiam valetudinem sive prosperam sive adversam exponeret? Cavebis, ne dum mense Aprili Augustinum ægrotantem, ac exente Augusto A. 431. mortuum singis, hæc tua somnia crudeliora conseantur, quippe qui diutino quinque mensum morbo senem sanctissimum excrucias. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 5. rectè dicebat: *Nemo est, qui dormire semper velit.* At tu vis etiam semper somniare.

## M A C E D O .

P. 729. **Q**uoquomodo res se habeat, certè Augustinus ante Augustum Ann. 431. superstes fuit, & ita sibi perscrivit Imperator, cùm ad Cœlestium, Rufum, Augustinum Julio mense anni 431. literas de statu Concilii dedit. Tam verò mibi perspectum, & exploratum est in hunc annum eius obitum incidiße, ut id & demonstrare possem & demonstraturum credam.

## S O M N I U M X L I I I .

**R**es eo certè modo se habuit, quo Patres id temporis viventes contigisse testantur. Capreolus, ac Prosper S. Augustini amici ac Synchroni affirmarunt eundem A. 431. superstitem non fuisse. Profectò aut illi mentiti sunt, aut tu somniasti, & etiamnum somnias. Liberatus ac Ferrandus ambo Diaconi Carthaginenses scribunt Capreolum literas ad Theodosium misisse, quibus obitum Augustini Imperatori dignificabat. Num hæ literæ apud Gyaram, vel Cycladas hæsere, aut earundem perlator Ebagnius naufragium passus est, ut mense Julio Theodosius obitum

Augustini ignoraverit, cùm Bessula alias Capreoli litteras ante 22. Junii Ephesum feliciter detulerit? Hæc vel similia tibi somnianda sunt, ut Theodosius dici possit Julio mense Augustini mortem ignorasse. Errorem scriptoris Epistolæ perperam Imperatori africæ, uti dixi ad Somnium 39. Cùm verò dicis tibi perspectum & exploratum esse in A. 431. Augustini obitum incidiisse, in Andabatarum turmis militas illi enim, more tuo, oculis clausis, depugnabant. Mirum sane, quod cùm te sopor aggreditur, condicione natantia lumina somnus, perspectum & exploratum post annos mille ducentos ac quadraginta novem id habere possis, quod Capreolus ac Prosper eo ipso anno, quo illud ipsum contigit, superstites ignorarunt. Jactas te & id demonstrasse & demonstraturum? Scito te & id somniasse, & iterum somniaturum.

## M A C E D O .

**U**nicā adhuc uti volo ratione. Ita. Itinerarium Augustini proximè adductum est omnino certum & ibidem constans. Sed illud in alium annum nisi in hunc quadrare non potest, ergo huic anno obitus Augustini est assindans.

## S O M N I U M X L I V .

**V**AH! qualem novam syllologizandi formulam somnias! Cùm puer Logicales summulas in scholis disserem, dicbat præceptor magis ac minus extreum propositionum cum medio termino jungi in præmissis; at medium terminum non ponit in conclusione, sed tantum magis & minus extreum simul composita eandem conclusionem efficere. At tu ponis in conclusionem obitum Augustini tanquam alterum extremonrum, cùm tamen obitum Augustini in neutrâ antea præmissâ nominaveris, & hunc paralogismum, quamvis vix hoc nomine uti ausim, rationem demonstrativam appellas. Rectius dixisses: Itinerarium Augustini Mediolano Romam Ann. 388. mense Aprili, atatis Augustini trigesima tertio decurrente, est omnino certum & constans, sed illud Itinerarium non potest mittere annum obitū Augustini attatis 76. ferè compleatum, nisi in annum 431. ergo hic annus obitū Augustini est certus & constans. Est argumentum per analogiam ad tertiam figuram, cùm in tuo illo syllogismo Itinerarium in utrâque præmissâ sit subjectum. Interim tuam illam maiorem præmissam, prout à te positam, distinguo: Itinerarium, &c. est omnino certum & constans, prout expressum ab Augustino iter habente, concedo, prout expressum à te somniante, nego; nihil enim nisi pura somnis, ac aniles nugas adduxisti, ex quarum centonibus Augustini Itinerarium somniando consarcinares. Minor tua propositio erat: Sed illud, nempe Itinerarium, in alium annum nisi in hunc quadrare non potest. Hæc non modò falsa, verum etiam ridicula propositio est. Nam itinerarium Augustini non quadrat, te auctore, nisi in annum 388. quo Mediolano Romam se contulit. At itinerarium quod quadrat in annum 431. est quod continet iter, quod Augustinus momento fecit ex viventibus ad mortuos. Itinerarium abs te adductum signat annum 388. quo etiam Monica, ac nepos Adeodatus, aliquie Mediolano Romam, sive ad Ostia Tiberina profecti sunt. At ex illo Itinerario non sit, ut Monica, & Adeodatus, & reliqui comites anno 431. decesserint. Videbis igitur quæ portenta somnies, & quod in hoc tuo Itinerario præcepis corruas.

MA-

## M A C E D O .

Ibidem **P**ropositio patet, quia Pascha hujus anni 431. in eam diem incidit, quæ totam itineris rationem recto filo ab initio ad finem evolutâ serice dierum in textu Augustini propositâ deducit, quemadmodum superius ostendimus. *Atqui solus hic annus hujusmodi Pascha habuit, igitur solus hic capax est ejus veritatis obitûs Augustini.*

## S O M N I U M X L V .

**N**ec ipse Artemidorus, qui justo volumine somnia interpretari conatus est, isthac quæ modò somnias, intelligeret. Augustini iter Mediolano ad Ostia Tiberina contigit anno 388. ut somnasti, quo anno Pascha peractum est die 9. Aprilis. Quid huc igitur nominas Pascha anni 431. quod contigit die XIII. Kal. Maii? Quid Augustini obitus habet cum Paschate anni quadringentesimi trigesimi primi? Dicis: *Quemadmodum superius ostendimus.* Quid de Paschate anni 431. superius ostendisti, qui semel tantum pag. 728. col. 1. versu 24. dixisti Epistolam Theodosii perlataam ad Capreolum Primatem Carthaginem anno 431. per Pascha ejus anni, quod tamen in dubium vocasti? Putabam errasse Typographum, ac legendum: *quia Pascha anni 388. in eam diem incidit.* Et id enim superius ostenderas, assignando à die Paschatis duodecim dies itineris usque Ostiam, quinque in columbitatis, & novem ægritudinis Monicæ. At somniis tui verba Typographum procul ab errore esse demonstrant; nam statim addis: *Atqui solus HIC annus hujusmodi Pascha habuit, igitur solus HIC capax est ejus veritatis OBITUS Augustini.* Sine involucris, palam, clarissime loqueris de anno 431. Vide ergo quæ somnies. In prima propositione describis ea, quæ ostendisti contigisse Ann. 388. In altera, quam minorem Dialectici vocant, uno saltu transis ad A. 431. ac demonstrationis tuæ tibias ac cervicem frangis.

## M A C E D O .

Ibidem **L**iquet ipso meridie clariss. Nam Pascha anni 430. incidit in diem 25. Aprilis, quâ die Mediolani esse non potuit Augustinus, cùm esset ad Ostia Tiberina cum matre ac sociis post 17. dies à discessu Mediolano pridie quâdum Monica deverbuisse ex febribus, uti constat ex proximo Itinerario. Igitur adynaton prorsus est ponere EO ANNO 430. obitum Augustini.

## S O M N I U M X L V I .

**D**um meridiem nominasti, jam te putabam vigilar. Verum animadverto te etiam meridiari. Pascha, inquis, anni 430. incidit in diem 25. Aprilis. Somnias. Nam Pascha A. 430. incidit in diem 30. Martii, Cyclo Solis XIX. Luna XIII. lit. E. Addis: quâ die Mediolani esse non potuit Augustinus, cùm esset ad Ostia Tiberina cum matre & sociis, &c. Altius rhonchillas. Anno 430. Augustinus erat Hippone in Africâ à Vandaliis obsecus. Mater quidem erat Ostia, sed in sepulcro, ante alterum suprà quadragesimum annum demortua. Equidem & hic volebam in Typographum culpam conferre, qui ediderit Pascha anni 430. cùm tu scripisses ( quantum dormienti tribuo!) Pascha anni 387. nam Pascha hujus anni contigit die 25. Aprilis, uti dicens, quâ die superius ad Somnum 8. & 9. narraveras suisse Augustinum cum matre apud Ostiam. At error totus tuus est, in te solo hæret omnis, nihil illius Ammanensis aut Typographus participant. Nam conclusis, Igitur adynaton prorsus est ponere EO anno OBI-

TUM Augustini. Loqueris ergo de anno 430. quo obiit Augustinus; ac de eo anno loqueris, quem in antecedenti propositione tui enthymematis appella- veras. Dum enim dicis EO ANNO, pronomen EO est relativum, ac connotat annum, de quo proximè sermonem feceras, videlicet 430. quo anno dicitis Pascha fuisse die 25. Aprilis, cùm tamen die 30. Martii reapse contingit, ut ex Cyclis ostendi.

## M A C E D O .

**I**gitur adynaton prorsus est ponere eo anno obitum Au- Ibidem  
gustini, quem sibi jure vendicet annus 431. cuius Pas-  
cha fuit 9. Aprilis die accommodato ad faciendum iter, quin  
& ad omnem illam seriem dierum viæ, commemorationis,  
incolumitatis, ægritudinis, mortis Monicæ evolwendam.

## S O M N I U M X L V I I .

**H**æres in eodem luto somnifero ac soporifero. Pascha anni 431. non fuit 9. Aprilis, ut somnias, sed die 19. ejus mensis Cyclo Solis XX. Lunæ XIV. lit. D. Porro si ea die ejus anni in hac ipsâ pagina dixisti Augustinum fuisse fortasse agrotantem, ac Hipponi regio ab obscientibus Vandaliis castra circumdata; ægritudinis tempus putabitis accommodatum ad conficiendum iter, & quidem viis omnibus à Barbarorum copiis infessis? Cæterum mirus homo es in somniando; siquidem observo te aliud somniare, & aliud somniando loqui; cùm cæteri somniantes, quando contigit eosdem verba emittere, ea dicunt, quorum in somniis phantasmata ipsis obiciuntur. Video te somniare de annis baptismi S. Augustini, ac velle illum contigisse non anno 387. sed 388. id exprimitum tum characteres Paschales, quos adponis, tum historiæ commemorationis apud Ostiam, temporis accommodati ad faciendum iter, ægritudinis ac mortis Monicæ. Hæc intus imaginaris, quæ sane contigere anno 387. vel 388. At ea dicens contigisse non anno 430. sed 431. & clamas: Igitur adynaton est ponere eo anno 430. obitum Augustini, cùm dicere debuisses: Igitur adynaton est ponere eo anno 387. baptismum Augustini, quem sibi jure vendicet annus 388. cuius Pascha fuit 9. Aprilis die accommodat, &c. Si tibi somniare libeat, hoc planè modo somniato. Quod vero te somniare tam bellè doceam, nullam mercedem abs te exigo; unam hanc gratiam reponso, ut, cùm contrâ Augustinianos scribis, more tuo dormites, & somnies.

## M A C E D O .

**A**cut nemo dubitet de Paschali tempore, sciat Lettor, cùm à me illud diligentissime inquisitum, & cer- Ibidem  
tissime exploratum, & feliciter repertum, & eviden-  
ter demonstratum est, voluisse me consulere virum to-  
tius Philosophiae & Matheos doctissimum, illustrissi-  
mum Equitem Rinaldinum Anconitanum, à quo oracu-  
lum (talia sunt illius responsa) acceperi, & lucem autho-  
ritatis luci veritatis adjunxi.

## S O M N I U M X L V I I I .

**T**U quidem, ut libet, uti labet, somniato. At que- so à te, ne ridicula somnia, quibus tam frequenter, imò assidue deciperis. Viro oculatissimo ac vigilissimo artifice, qui eadem suo suffragio firmaverit. Peream, si vir totius Philosophiae & Matheos doctissimus tibi unquam dixi Pascha anni 430. incidiisse in diem 25. Apr. & anno 431. Pascha fuisse 9. Aprilis. Rem scio. Eques Rinaldinus Paschales characteres anni 387. & 388. tibi indicavit, ex quibus annum postea obitûs Augustini expiscari cogebas. Tu vero acceptas in

vigiliā species, quod novæ & insolite vix memorie adhærebant, per somnium satis ridiculè turbasti, ac Paschales characteres annis controversis de baptismo Augustini assignatos, annis itidem controversis de obitu ejusdem affixissi. Qui error, ac palmaris halucinatio non Typographi negligentia, sed tuæ tantum somnolentia deputanda est, ut proximè ex tuismet verbis demonstravi. Itaque hoc somnium tosum tuum est, in cuius partem nec Mathematicus Rinaldinus venire possit, imò nec Typographus Cadorinus velit.

## M A C E D O.

Ibidem **H**oc ultimum à die Paschatis sumptum argumentum est omnino, me auctore invictum, remq; demonstrat,

## S O M N I U M X L I X .

**H**oc argumentum à Paschate quod ex Pennoto, ut notavi ad Somnum 7. & 8. exscripti, non modò non est invictum, sed te toto campo victum, susque deque jactatum ostendit. Rem certe demonstrat, nempe te immensa monstra somniasse. Nam quid aliud quām somnia singit, qui dicit Augustinum anno 388. die 8. Aprilis baptizatum, in sequenti statim die solemnī Paschatis Neophyton albatum contrā leges ab Ecclesiā recens baptizatis impositas, Mediolano Romanam profectum fuisse? Hoc səpiù tibi in faciem illido, ut repetitis istib; , jam tandem exciteris, ac videas, quām non dicam plumbeum ac vitreum sed plane aērium, imò nullum sit argumentum, quod invictum somniando jactasti. Et quidē intūs in animo somniabas Augustini baptismum, atque iter Mediolano Romanam non potuisse contingere A. 387. quia eo anno Pascha fuit die 25. Aprilis; quamvis exteriori voce eum characterem A. 430. assignasti, testatus Paschale tempus à te diligentissime inquisitum, licet in Pennoti volumine illud invenieris, & certissime exploratum, & feliciter repertum (hanc tantam felicitatem eidem Pennoto acceptam referas, à quo il- lam ore aperto, inter somnum sorbuiisti) & evidenter demonstratum esse. Dic, quāso, in quibus Cyclis Pascha anni 387. die 25. Aprilis invenisti? Quara. Octāteridem, vel Enneadecaeteridem confulisti, ut Neomenias Martii subductis calculis explorares, ac diem Paschatis VII. Kal. Maii anno 387. feliciter invenires? Tunc putas anno 387. Pascha in Romanā Ecclesiā die 25. celebratum? Ante S. Leonis Magni Pontificatum nunquam Pascha diem 23. Aprilis excessit, S. Leo Magnus in Epist. 64. ad Marciānum Augustum reprehendens Theophilum Alexandrinum, qui in suo Cyclo, quem ab anno 380. per annos centum dis- gesserat, Pascha anni 455. fixisset in die 24. Aprilis, ait; Sed in anno qui erit sepuagesimus sextus (in Cyclo Theophil) Pascha dies invenietur adscriptus, quem à Passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas. Nam diem VIII. Kal. Majarum ab eo cognoscimus prae finitum, qui anni limitem antiquitus constitutum exceedit. Et cum dixisset quandoque celebratum Pascha nono, & decimo Kal. Maii, addit: Ad octavum autem Kal. Majarum Paschalem obseruantiam perdere, nimis insolens, & aperta transgressio est. Itaque testatur Leo in Romanā Ecclesiā Pascha non posse excedere diem 23. Aprilis. Tunc ergo, somniculosè, feliciter invenisti Pascha A. 387. celebratum VII. Kal. Maii; hoc est, 25. Aprilis, cùm Leo Pontifex tam proximus eidem anno, & cui scheda omnes decessorum in Archivis patabant, testetur rem esse nullius exempli, insolentem, & apertam transgressionem? Hæres stupidus, hujus Leo-

nis rugitu exp̄ergetatus, ac territus. Synodus Palæstina auctoritate Victoris Papæ, imperante Septimio Severo, Cæsareę coacta, terminos Paschales constituerat, cuius Synodi fragmentum Beda recitat, & concludit: Constitutum ergo est in illa Synodo ut ab XI. Kal. Aprilis, usque in XI. Kal. Maii Pascha debet observari, & nec ante, nec postea euicunque constitutum limitem transgredi sit facultas. Hinc scribit Paschalis Lilybanus Episcopus ad S. Leonem Magnum, A. 417. Zosimo Romano Pontifice, erratum in die Paschatis: Tunc enim, inquit, cum declinaretur nō dēcimo Kal. Maii dies Pascha teneretur, celebratum oītāto die Kal. Aprilis, id est pro embolismō communis est annus tenuis, & error gravissimus ortus. Ex hoc rursus infertur A. 387. non fuisse celebratum Pascha in Romāna Ecclesiā die 25. Aprilis; aliás non cavissent post annos triginta idem festum peragere die 22. Aprilis, cùm plurimi exemplum A. 387. adducere potuissent. Itaque Zosimus, ne celebraretur Pascha die 22. Aprilis, die extrā limitem Synodi Cæsariensis, jussit peragi die 25. Martii. At Leo Magnus interpretatus Pascha passionis, non Resurrectionis à Palæstinis, Victore Pontifice p̄eante, statutum, duos dies limiti Cæsariensi addi posse decrevit, ut limes ad IX. Kal. Maii die 23. Aprilis figeretur, in laudata Epistola 64. qui in sequenti ad Eudoxiam Augustam ait de Theophilo statuente Pascha die 24. Aprilis: A totius antiquitatis exemplo, & ab omni auctoritate Patrum discordat. Addit verò ab aliis eo anno 455. die XIV. Majarum Pascha notatum. Orientales Theophili Cyclum obserabant, quem annorum 437. rotat Riccioli tom. 7. Chrolog. lib. 1. cap. 26. ait que conslatum ex Lunaris Cyclis 23. Solaribus 15. & p̄terere annis 17. Sed errat; nam S. Cyrilus ejusdem nepos scribit de Theophilo avunculo in prologo Cycli annorum 95. Quadragecentorum octodecim annorum Circulum Paschalem instituit. Itaque Cyclus Theophili inchoatus ab A. 389. continebat Cyclos Lunares XXII. Solares XIV. & annos viginti sex. Apud Latinos celebrior Cyclus erat annorum 84. quo Ecclesiam Romanam, Leone Pontifice, usum existimo. Prosper in integro Chronico, quod edidit Labbeus tom. 1. Bibl. Ms. ad consulatum Fausti & Galli, Imperatore Diocletiano, vulgaris Epoca 298. ait: Finis Cycli tertii, quarti principium; & rursus ad consulatum Antonii & Syagrii A. 382. Finis Cycli quarti, & exordium quinti. Est Cyclus annorum 84. per Tessaradecaeteridem sexies multiplicatam. Paschalisinus S. Leonis ad Synodum Calchedonensem legatus, in laudata Epistola scribit: Nam suppeditatio Romana, qua Cyclo concluditur, cuius ipse de quo agitur, erit annus sexagesimus tertius, qui cœpit à consulari Antonii & Syagrii. Loquitur de Paschate A. 444. qui si erat LXIII. Cycli inchoati A. 382. Antonio & Syagrio Coll. pater Romanam Ecclesiam Cyclo annorum 84. usum; ille quippe Cyclus ex Prospéro erat annorum 84. Hac verò p̄cipua erat utriusque Cycli diversitas, quod Latini in eo Cyclo terminos Paschales statuebant Egyptiis dissimiles. Nam Latini Neomeniam Martii à tertio Non. Martii usque in III. Non. Aprilis per dies 29. extendebant. Theophilus verò ab VIII. Id. Martii usque ad Nonas Aprilis. Hinc factum est, ut Theophilus Dominicam Paschalem biduo ultrā limitem Latinorum protraheret; cùm enim illi limitem solemnitatis Paschalis sisterent in die 23. Aprilis, Theophilus in die 25. Aprilis Paschalis Dominicę terminum posuit, à quo tamen termino Romana Ecclesia abhorrebat, ut ex Zosimi Pascha-

ac Leonis Epistolis ostensum est: quatuor postea S. Leo in Paschate anni 455. studio pacis, Aegyptiorum canones fecutus, Pascha die 24. Aprilis celebrandum decreverit; regre id S. Prospero ferente, ut patet in fine Chronicæ. Itaque quatuor Cyclus Luna VIII. Aegyptiorum cum litera C concurrebat, in celebrando Paschate à Romana Ecclesiâ discordabant. Hoc planè contigit A. 387. qui erat VIII. Cycli Theophilii, & VI. Cycli Romani annorum 84. Et sanè, si non supereret Epistola S. Ambrosii ad Episcopos per Amiliam, dubius foret dies, quo eo anno Augustinus baptizatus fuit; verum ex aurea planè Ambrosii Epistolâ pag. 301. Tom. 4. discimus, quid ipse de die dubio Paschatis ejus anni decreverit. Itaque scribit ad Episcopos Amiliæ Judæos eo anno Pascha egisse XIII. Kal. Aprilis, id est, die 20. Martii. Hillelis Hebrei Astronomi canones id temporis sequebantur, ex cuius Enneadæcæteride A. 387. decima quarta Nisan cadebat in diem sabbati 20. Martii, cum Neomenia Tisri fuerit A. 386. die 21. Augusti feria VI. At Christiani Latini, quod ante Equinoctium, quod ante 21. diem Martii non incipiebat, juxta canones, seu decreta Nicæna Synodi, eo die Pascha non celebrarunt, sed die XIV. Kal. Maii. Id colligitur ex laterculo vetusto Paschali centum annorum, quod terminatur ad A. 411. ibi enim legimus: *Valentianus III. & Eutropius* (nempè A. 387.) *XIV. Kal. Maii.* Hunc Cyclum habet apud Bucherium pag. 259. Comment. in canonem Victorii Aquitani, qui ad eundem Ann. 387. duo Paschata signat: *XIV. Kal. Maii*, juxta Latinos, & *VII. Maii*, juxta Aegyptios. At S. Ambrosius juxta Cyclum Theophilii Pascha memorato A. 387. celebrandum decrevit: Ergo, inquit, secundum Aegyptios celebratur sumus Dominicam Pascha, hoc est, Septimo Kal. Maii, qui est trigesimus Pharmuthi mensis. Erat eo anno Alexandrinis Cyclus Luna VIII. Solis IV. lit. C. Luna XIV. cadebat in diem 23. Pharmuthi, quæ erat Dominica; ac proinde in sequentem Dominicam Pharmuthi 20. quæ apud Latinos erat 25. Aprilis, festum Paschale protraxerunt. Sanctus Proterius Martyr & Patriarcha Alexandrinus, in Epistola ad S. Leonem Magnum tom. 3. Concil. edit. Labbeana pag. 1352. ait: *In centesimo quoque tertio anno ab imperio prefati Diocletiani, cum Luna Paschalis XIV. Pharmuthi trigesima tertia die qui est XIV. Kal. Majarum* esset die Dominicæ superventura, iterum septimana quaestia est, & Dominicum Pascha trigesimæ die mensis ipsius Pharmuthi, qui est VII. Kal. Majarum constat esse celebratum, &c. Initium imperii Diocletiani sumitur ab anno Christiano 284. adde annos 103. eris ad A. 387. cuius Pascha in Aegypto peractum est die 25. Aprilis. Ambrosius in laudata Epistolâ Aegyptios fecutus, ait: *Quod si moveat, quia quartam decimam Lunam transeuntes, quæ die Dominicæ incident, hoc est, quarto decimo Kal. Maii, sequenti Dominicæ (VII. Kal. seu die 25. Aprilis) instaurandam celebritatem suademos, auctoritas extat hujusmodi, &c.* Scripsit hanc Epistolam Ambrosius Ann. 381. siquidem ibidem ait: *Sed cum ante biennium celebraverimus Pascha Dominicam undecimo Kal. Maii.* Hoc Pascha die 21. Aprilis contigerat A. 379. Cyclo Luna apud Aegyptios XIX. Solis XXIV. lit. F. Unde colligitur ante sexennium cœptum disscuti dubium de Paschate A. 387. Ceterum quamvis eo anno Luna XIV. Martii juxta Ambrosium Aegyptios fecutum, caderet in diem Dominicam Aprilis 18. apud Romanos tamen ea die 18. Pascha

celebrantes, atque Luna XVI. habebarur, cum Neomeniam Martii biduo ante Aegyptios inchoarent, ut constat ex laterculis Victorii Aquitani, ubi A. 387. dies Paschatis *XIV. Kal. Maii* Luna *XV. I.* signatur. Longius abs te abii, o Macede; Nam fui in Aegypto cum Theophilo ac Proterio; perrexii in Palestinam ad Synodus Cesariensem; transmisi in Galliam, ut Cyclos Prosperi ac Victorii intelligerem. Romam veni, ut Leonis de limite Paschali sententiam audirem. Denique Mediolanum perrexi, ut Ambrosii decretum de Paschate A. 387. cognoscerem. Nullus dubito, quin plura ex hoc meo Itinerario intellecturus sis, quā ex tuo illo somniando cognoveris. Tui unius gratiæ tot Cyclos perlustravi, ut jam tandem, quæ oraculi voices sunt, nosceres te ipsum; nempe inanter jactasse Pascha anni 387. à te diligentissime inquisitum, & certissime exploratum, & feliciter repertum, & evidenter demonstratum esse: quæ tua verba ad Somnum, 48. prænotavi. Profectò, si non extaret illa Epistola S. Ambrosii, nihil invenissem, ac nihil demonstrasses, cùm ex Leonis Epistolâ convincereris in Romana Ecclesiâ nunquam per ea tempora, quorum memoria ad Leonis Pontificatum pervenerat, post diem 23. Aprilis festum Paschale instauratum. Dicte Paschatis A. 387. à Ludovico ab Angelis, conterraneo tuo, didicisti, qui apud Pennotum, quem rapaci manus expoliasti, lib. I. Hist. Trip. cap. 4. de die baptismi S. Augustini scribit: *Mensis erat Aprilis, & dies 24. in quam illo anno Domini 387. sabbatum Paschale incidit.* Quid ergo jactas diem Paschalem ejus anni à te diligentissime inquisitum, & certissime exploratum, & feliciter repertum, & evidenter demonstratum esse. Illa dies inventa ab Augustiniano scriptore, Magistro Conimbricensi (qui idem unus est tot titulorum, quibus in Ilborum tuorum frontispiciis intumesces) & tibi postea oblata fuit à Pennoto, ut in eadem de anno 387. baptismo Augustini assignato, tot infra abs te tibimet datos plausus, triumphares. Quid Equitis Rinaldini fores pultas, ut oraculum de die Paschatis A. 387. accipias? Vir doctissimus æquè ac modestissimus diem designavit 25. Aprilis, ac pudori tuo consulens, & quod intelligendo non eras (nam quos ab illo edocetis fueras, Paschales characteres confundisti) noluit ea dicere, quæ te audire debebat; yidelicet: Næ tu, homo, vigilas, qui tam enixè petis, ut diem Paschatis A. 387. tibi exponam, ut ex eodem nescio quid pro tempore baptismi S. Augustini expisceris? Habet domi tuæ Epistolam Sancti Ambrosii, qui ipsumsum Augustinum baptizavit; ibi Sanctus Doctor prolixius agit de die Paschatis A. 387. Habet aliam de eadem die Paschali S. Proterii Epistolam, ex qua disces quæ die mensis incident Luna XIV. Martii; cur in alteram Dominicam diem 25. Aprilis ea solemnitas perducta fuerit; intelliges Aëram Diocletiani, quæ facilior est, quā Metonis aut Calippi periodi, quā vagum illud Thoth annorum Nabonassari. Vir optimus hæc subtilius, ne tam supinam ignorantiam Scriptori quinquaginta tomorum exprobare videretur. Interim unus adhuc scrupulus tibi elevendus est, quo sit, ne baptismum S. Augustini illo tuo clavo trabali figas in hoc ipso anno 387. Nam, iugis, *Pascha Ann. 430.* (perperam loqueris; cùm mente somnis attum 387.) incidit in diem 25. Aprilis, quæ die Mediolani esse non potuit, cùm esset ad Officium Tiberina cum Mæle, ac sociis post 17. dies à discessu Mediolano, pridie quā Monica decubuit et ex febribus,

# Quinquaginta Somnia

ut constat ex proximo Itinerario. Igitur adynaton prorsus est ponere eorum anno 380 obitum Augustini quem sibi iure vendicet annus 43 cuius Pascha fuit 9. Aprilis die accommodato ad faciendum iter (loquere, queso, ut somnias; videlicet: Igitur adynaton prorsus est ponere eo anno 387 baptizatum Augustini, quem sibi jure vendicat annus 388 cuius Pascha fuit 9. Aprilis. Jam prosequere.) Quin et ad omne seriem dierum, viae, commemorationis, incolumentis, agitudinis, mortis Monicae evalendarum. Videbis quam comis ac gratiosus sim, qui tua etiam deforma somnia reformo. Verum nec te juvat baptismus Augustini fixus trabali clavo in die octavam Aprilis Ann. 388. siquidem ut demonstravi ad Somnum X. Augustinus per integrum hebdomadem Neophytus debuit Mediolani substitere, quod tu quoque Itinerarii tui oblitus affirmasti, ut postea intelliges. At semel admissa morte unius hebdomadis apud Mediolanum, obitus Monicae apud Ostiam nequaquam contingere potuit die IV. Maii eius anni 388. Joannes Riviarius lib. 1. de Viritate S. Augustini cap. 1. §. 35. mortem Monicae recitat anno Christi 389. postquam, inquit, ipse tum Augustinus atatis annum trigesimum tertium complexisset ex lib. 9. Confess. cap. 11. ubi scribit Matrem defunctam quinquagesimo & sexto atatis sua, trigesimo & tertio atatis mea. Errat virialis eruditus. Nam cum ipse recte statuat natum Augustinum Idibus Novembribus A. 354 idem A. 389. mense Mayo exacto anno etatis 34. agebat quintum supra trigesimum. Thomas Herrera, Petrus Campo, Ludovicus ab Angelis, ac Aloysius Torellus scribunt Augustinum baptizatum A. 387. die 24. Aprilis; Monicam vero est vitam migrasse A. 388. quarta die Maii, Augustini etatis anno trigesimo tertio completo. Ehi quidem scribunt Augustinum cum post baptismum aliquantisper Mediolani substitisset, inde postea cum Matre ac sociis viâ Aureliâ per Tusciacum, ubi Monachorum conventus invisit, Romam, ac denique Ostiam profectum, ac ibidem Matrem IV. Nonas Maii amississe. Petrus Campo putat Augustinum Ostia moratum usque ad necem Maximi Tyranni. Alii Romanum reversum dicunt. Exponam paucis quid, auctore Augustino, dicendum videatur. Sanctus Doctor cum lib. 9. Confess. narrasset se Mediolani baptismum suscepisse, ac ibidem aliquantisper postea commemoratum cap. 8. haec statim ibidem ait: Quarebamus quisnam locus nos utilius haberet, serpentes tibi pariter remeabamus in Africam. Itaque statuit rectâ in Africam pergere. Idem cap. 10. narratur quod sibi in colloquio cum Matre apud Ostiam contigerat, ait: Illic apud Ostia Tiberina, ubi remoti à turbis, post longi itineris laborem instaurabimus nos navigationi, &c. Si Augustinus diutius ante Romam reversum fuisset, ac libros, quos ab se post baptismum Romae scriptos testatur lib. 1. Retract. cap. 7. 8. & 9. composuisset, antequam Ostiam descenderet, non dixisset post longi itineris laborem; cum Romam usque Ostiam ex Antonini Itinerario iter tantum sit M. P. XVI. vel uti modò numerant, XVIII. Et quidem cap. 9. lib. cit. ait: Cum autem Romam demoraremus, &c. Hinc patet Riviarius ac Petrum Campo falso scripsisse Augustinum, scriptos Romae libris laudatis, cum Matre ac sociis Ostiam se contulisse, in Africam transmisserum. Quare ex illis verbis post longi itineris laborem, manifeste colligimus Augustinum Mediolano profectum, rectâ Ostiam viâ Aureliâ perrexisse eodem A. 387. quo fuerat baptizatus. Porro viâ Aureliâ per Pisam, ac inde Astantes M. P. 359. Centum-Cellas, Lorium usque iter habuit;

illinc verò ad Ostia Tiberina deflexit, ubi cum post longi itineris labore, se navigationi instauraret, Monica mater è vitâ migravit. Augustiniani scriptores vulgo affirmant eo in itinere Augustinum Tusciae monasteria invisiisse. Tu cum magistro tuo Penitentiis negas pag. 716. quod nec Augustino aut sociis pecunia suppetebat ad ea diverticula facienda; quia, inquis, Alipius, & si nobilitate praestaret, vivebat tam de consultis & responsis Juris prudentia, sicut Augustinus de Rhetorica facultate, & quem, uti præmittis, merces jamdiu pro Rhetorica magisterio defecerauit. Nihil nisi somniando loqueris. Augustinus A. 386. exente aestate, unde cum Alipio rus Cassiacum fecerat, ac professione Rhetorica abdicata, in Italia cum filio ac Alipio substitutusque ad necem Maximi, quæ contigit die 28. Augusti Ann. 388. Itaque qui propriis impensis biennio vitam in Italia ducere potuerunt, quosdam etiam nummos habebant, quibus parumper ab instituto itinere defleterent ad Tusciae Monasteria perlustranda. Si vigilans scripisses, forte laudes Augustini testimonium lib. 1. de mortibus Eccles. Cathol. cap. 33. Vidi, inquit, ego divisorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unius presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Roma etiam plurima cognovi, &c. Hoc scribebat Augustinus postquam Mediolano Romanum venerat, antequam in Africam transmiseret; qui si Tusciae etiam monasteria invisiisset, eadem sanè ibidem commemorasset. Sed ad obitum Monicae redeamus. Hunc contigisse anno 387. antè Idus Novembribus, quamvis mensis ignoretur, tradit Augustinus, dum ait se anno etatis trigesimo & tertio matrem amississe; ille vero annus Augustino exhibat die 13. Novembribus A. 387. Quod si annus 33. complectus intelligatur, ad dies mortis Monicae ponatur IV. Maii A. 388. Augustinus supra annum otiosus à scribendo fuisset. Nam lib. 1. Retract. cap. 6. narrat quæ Mediolani inter Competentes adlectus, ac proxime baptizandus scripsit: tum cap. 7. recitat quæ jam baptizatus, cum Roma esset, elucubravit. Quare cum ruri degens, se ad baptismum prepararet, ac jam sacris mysteriis initiandus, libros scriberet, qui fieri potuit, ut baptizatus pleno amo, stylo parceret, nec quicquam in literas mitteret? Hinc circa Autumnum A. 387. Romanum reversum eundem puto, ubi sacris literis, in quibus nondum assuetus se fuisse fatur lib. 1. Retract. cap. 7. accuratam operam ponens, Monachorum conventus, eorumque vivendi instituta perlustrans, ac libros insuper scribens, maiorem A. 388. partem exegit; siquidem lib. 3. cont. lit. Petilianus cap. 25. testatur se ex Italica peregrinatione jam post Maximi Tyranni mortem Africam reperiisse. In vetustis Martyrologiis Adonis, Bede, Notkeri, Rabani, Vandalberti & aliorum veterum die 4. Maii 8. Monica nomen non legitur, ac proinde post plura saecula ab ejusdem obitu, in sacris tabulis recitari ceperit, ut inventionis, sive translationis potius, quam mortis dies sub initium Maii recolatur, quod saepius in aliis sanctis ibidem commemoratis contingere certum est. Verum si in sacris dyptichis Ostiensis Ecclesiæ ex certa traditione S. Monica obitus IV. Nonas Maii signatus sit, nostrorum Scriptorum opinio præferatur, qui putant Augustinum post baptismum partim Mediolani commemorando, partim in Tusciae monasteriis perlustrandis annum exegisse. Quædam forsitan hac de re nobis exhibebunt eruditissimi Patres Henschenius ac Papebrochius tom. 1. SS. mensis Maii, qui brevi in lucem emittebatur.

MA-

## M A C E D O.

Ibidem **E**s iste deinceps annus nativitatis, baptismi, obitus Augustini indubitatus, scilicet natum anno 355. baptizatum anno 388. mortuum anno 431.

## S O M N I U M . L

**H**omo nimis imperiosus es, qui etiam somniando leges condis, ac edita promulgas, quibus deinceps somniculos tantum obedient. Somnias semel annum natalem; siquidem natus est Augustinus anno 354. Idibus Novembris. Somnias iterum annum baptismi; quia baptizatus est anno 387. die 24. Aprilis, Luna XX. Martii, quo anno S. Ambrosius diem Paschatis juxta canones Aegyptiorum celebravit, cum Romae die 17. Sabbatum sanctum eo anno peregrinarentur. Denique somnias annum obitus, quia ad superos abiit anno 430. V. Kal. Septembris, Theodosio XIII. & Valentino III. Colf. teste Divo Prospero Sancti Augustini amico, ac defensore, qui certe vigilans annum illum designavit, quemadmodum tu tam locupleti & invicto testimonio aut ignorato, aut dissimulato, alterum annum statuendo, somniasti.

## M A C E D O.

Ibidem **V**eritamus stylum ad institutum doctrinae, &c. Summa esto. Christum Dominum omnes Christiane rationes, & status, instituisse, praedicasse, exercuisse, &c.

## S O M N I A   S O M N I A T A.

**J**am tandem ad metam tui Itinerarii pervenisti, & quidem tam bene soporatus, ut ad Somniaram votivam tabellam clavo illo tuo trabali figere possis. Extat ad somnum Orphei hymnus perelegans ac jucundus, quem etiam recantes. Itinerarium Augustini descripsisti, ita tamen ut viam qua ille incesserit, ignoramus: quod vero tu eo in Itinerario deviaveris, nullus non videat. At modò dicas: *Veritamus stylum ad institutum*. O utinam nunquam animum induxisse ab instituto divertere; neque enim tot monstrosum immannium somniorum portentia evulgasses. Hæc cum offendissem, vix oculis fidem meis habere poteram, ac subinde somniare me potius, quam lectitare arbitrabor. Nam monstro simile videbatur hominem, qui in frontispicio libri inscribitur XXXXX. Librorum Author, non in magnum quodpiam volumen, sed in unam & alteram tantum paginam, & utramque grandioribus characteribus impressam, tam densam somniorum farraginem concessisse. Hinc majorum illorum partem Typographi negligenter adscribendam ratus, indicem errorum, quæ in calce ejus tomi emendantur, consului, atque huncce titulum legi: *Errata enormia sic corrigē, quæ sunt in ultimo Tractatu de Institutione Christi.* Tum, inquam, Itinerarium est adpositum uti coronis Tractatu de Institutione Christi, eodem enim descripto, ait: *Veritamus stylum ad institutum doctrinae;* nam ab Incarnatione Christi ad Itinerarium Augustini, quæ quantis parasangis ab invicem distent, nemo ignorat, uno saltu transfilierat. Itaque perlustro primam pagellam indicis; verto paginam. Hære, tam paucos imbi-versus emendationum primo aspectu observans. In priori versu lego: Pag. 725. col. 2. lin. 14 suæ: *interpone ante vocem sequentem.* Nam Typographus ediderat: Ergo die nono agritudinis suæ quinquagesimo & sexto etatis suæ. Itaque dicit reponendum nono

agritudinis suæ, quinquagesimo, &c. Quam severus, inquam, corrector, qui nec unius comæ, seu interpositionis defectum suis in scriptis patitur! hunc tamen inter errata enormia receneret. In pag. 727. quod editum fuerat 348. decensis, ex tribus, supputando, advertit legendum: 388. decursum, extritus, supputandi. Repeto editum exemplar nullum erratum noto, sed lego: 388. decursum, extritus, &c. Item pag. 728. ait perperam legi: clarum, missæ, appellato, ac repandum, clarum, missæ, appellatio. Adeo impressam paginam, ac lego: clarum, missæ, appellatio. Idem in correctionibus pag. 729. observo. Quid hoc, inquam, homine faciemus, qui sua etiam somniat errata, quæ corrigat? Verum dicam, ut res est. Illas paginas iterum typis imprimendas curavit, quod cum easdem quibusdam erroribus conspersas observasset, illis expunctis, emendatissimas secundis curis excudit. Nullumne tot tanto cumque somniorum emendavit? Nullum. Non illam Paschalium characterum confusione adverterit? Ita plane non vidit. Quid cum pag. 727. lin. 3. col. 1. pro annis 348. repoluist 388. non adnotavit errorem statim ibidem connexum, quod ab anno 388. ad 431. annos numeravit quadraginta sex? Evidènt errore non expunxit. Et de defectu unius comæ est sollicitus! Quidna igitur jure dicante somnia somniasse, dum legens ac relegens folium illud impressum, minima quedam errata emendasti; at enormia errata, quæ ibidem admisiisti, iterum somniando comprobasti, nec obligatam fidem implevisti. Et tamen initio clamabis: *Danda est opera & quidem magna;* Si eo nomine veniat longior somniorum continuatio, magnam te operam dedisse non ibo inficias, quamvis nolo te illis vocibus quantumcumque Itinerario consarcinando labore abs te impensum jactare. Nullus enim somniando laborat; quamvis plerunque in somniis sibi laborare videatur. Si quæ in somniis errata perpetrantur, vigilantes postea reos facerent, quot errorum poenas lueres? Peccasti in Grammaticam semel & iterum vitio tantologiae. Peccasti in Logicam minus extremum in syllogismo in confusionem ponendo, quod in ne utra præmissa locaveras. Peccasti in Geographiam, dum dixisti: *Roma ad Ostia Tiberina.* Peccasti in Arithmeticam, cum datis numeris 388. & insuper 46. collegisti summam 431. Peccasti in Astronomiam dum characteres Pascales annorum 387. & 388. assignasti annis 430. & 431. Peccasti in Chronologiam, dum annos nativitatis, baptismi, ac mortis S. Augustini tripli metachronismo pervertisti. Peccasti in Breviarium Romanum, eidem imponens Clericatum Augustini ante ejusdem baptismum. Peccasti in Principes imperii Roman, mensem in eorundem literis commutans. Peccasti in Synodos, dubitans de Epistolâ Capreoli quam Ephesina Synodus actis inferuit. Peccasti in sacros ritus ac cærenonias Ecclesia, in Majorum leges ac statuta; dum Augustinum hesternâ die Neophyton, à sacris statim templis abstractum, in veste candidâ, per Italie mansiones, Paschali hebdomade, tuam manu traxisti. Peccasti in Episcopos; dum Capreolum Primatem Carthaginem uti nimium credulum, ac falsis nuntiis deceptum, sugillasti. Peccasti in Amicos, ac consiliarios tuos, dum Equitem Rinaldinum tuaram insignium hallucinationum auctorem, five suffragatorem produxisti. Peccasti in Augustinum; dum conjunctionem Domini & Filii, qua ille adeo frequenter utitur, ineptam & dissonam appellasti. Peccasti denique in te ipsum, dum tantam somniorum congeriem, tam densam fabularum farra-

## Quinquaginta Sominia

farraginem, tam vastam erorum stirpem induas illas infelices ac deplorabiles Itinerarii tui pagellas addensasti, congeffisti, coacervasti, quo partam hucusque qualemcumque tui nominis famam tum apud superstites, tum etiam apud posteros malo, non quidem fato, sed planè facta tuo denigrares, imminueres, immo etiam extingueres. Eruditus quiq[ue] tuum hocce Itinerarium cum risu legunt, ac eachiuros subinde sustollunt. Nos soli Augustiniani agere ferimus te, quem dudum in oculis ac corde sergamus, ea in literas mittere, quibus apud universos hac tua non proiecta, sed planè decrepita erat, in ridiculo habearis. Nos quidem Aborigines, & sine certo Auctore natos, ut etiam cætera, somniasti. At scito Monachatum S. Augustini solidiori fundamento innixum esse, quam ut ab somniante non dicam subirii, sed nec tantillum loco moveri possit. Angelicus Aprosus Intimelientis magnum honorum Artium ac sodalitii nostri ornamen-  
tum, nuperas ad me literas misit, quibus significabat P. Magistrum Aloysium Torellum Bononiensem in prefatione Tomi VI. Seculorum Augustinianis, quam ex Pennoto crambem recoctam, & comesam stertium epitheton, quod in hunc tuum fetum maximè quadret, apud Catilum bis invenies epigram.  
37.) reposuisti, uno oris flatu in ventos sparisse. Gabriel Pennotus te certè melior historicus, plura contra Augustini Monachatum congesserat, quæ tamen Thomas Herrera, Petrus Campensis, Joseph Sabbatinus, ac laudatus præfertim Torellus eruditè que ac solidè confutauit. Interim alienis litigiis temet immissicis, quædam scripturis, quæ te potius Pennoti discipulum, quam advocationem, quo ille maximè indiget, publicabant. Nam nostrorum libris ignoratis, alienis armis indutus, inani quodam verborum impetu in certamen descendis, cùm nomine saltem, cognoscendi tibi fuissent hostes, prius quam eos ad pugnam provocares. Cæterum Augustiniani recentis adver-  
sarii tui conatus immemores, veteris tantum amici-  
tiae memores, hocce te scripto admoneendum censuerunt, ut Itinerarium Augustini non quidem ad lir-  
mam, sed ad incudem revoces; & si forte illud in me-  
tiorum formam haud potis sis redigere, cùm omnes penè literæ lituram poscant, duas illas tibi somniatas pagellas mille in partes lacreras, flammis absumas. Nec illa leviora errata reputes, quod in calce Operis tibi exciderunt, illud mihi reponendo: Et tu insidiaberis calcaneo meo? Noris, *vetus poëta*, Achillem toto licet corpore invulnerabilem, in calcaneo ta-  
men, quæ minimâ corporis parte icibus patebat, per-  
cussum occubuisse. At ego eo certè consilio tela in  
libri tui calcaneum collimavi, ut mentis incolumentem acciperes; siquidem videris eadem jam laborare, quum tanto fastu, ac imperio jactas magnam operam, demonstrationes, argumenta invicta, irrefragabilia; cùm dicas omnia tibi explorata ac comperata; cùm magno promissori histu exclamas: *Uno istu omnes contro-  
versias amputabo*; cùm more Romano iterum clamas: *Annum fixi, & clavum adegi*, quem nemo possit ressigere; cùm Chronologorum veluti Imperator leges de anno obitus Augustini promulgas, edicens: *Hunc de-  
inceps. Lector, certum habeto & indubitatum, idque meis  
calculis efficiam*, nempè cùm datis annis 388. & ad-  
ditis 46. colligis summam annorum 431. Nonne am-  
pullata verba, tantus in loquendo fastus, tanta in dis-  
putando securitas, te mente deceptum produnt, dum ea eructas, qua postea, si sanæ mentis haberis velis, publica palinodiâ recantes? Divini vatis Eccles. 34.  
I. oraculum audias: *Somnia extollunt imprudentes*;

quibus ne adcessarisi; noli laureolam ex somniis pe-  
tere, ac in iisdem tibimet triumphum canere. Scribis pag. 718. col. 1. *Gratiamei facere non possum vetus & severus Poëta*. Cùm autem poetæ dicantur à Satyrico: in bicipiti somniaesse Tarnasso; haud miramur te ve-  
terem poetam tanta nuperrimè somniaesse, cum fabu-  
lae vigilantium somnia dicantur. Morphæ Somni-  
rum Dux Ovidio Met. XI. 635. laudatur:

— Non illo iussos solerius alter

Exprimit incessus.

Hic sane te docuit, ac ea, qua plurimum potest, arte egit, ut in hoc tuo Itinerario cum tanto fastu, Ci-  
ceronis verba sunt lib. 2. de finibus, *incepsus fingeres*, quo gravior piderere. Author est Pausanias lib. 2. in Corinthiacis Ardalu apud Trezenios aram dedicasse: *Ad eam aram, inquit, Musis & Somno sacra faciunt: Musis omnium Deorum maxime amicum somnum ipsum censentes*. Quindi igitur tu *vetus & severus POET* & una simul Musas ac Somnum éolas? Equidem Somni quinquaginta in somnia totidem velut vi-  
ctimas immolasti. De Monachatu S. Augustini non ut historicus, sed velut Poeta scripsisti; toto enim somniatis tibi fabulas inseruisti, ut iisdem lectis, illa laudati Ovidii carmina reposuerim:

*Somnia rana jacent totidem quot messis aristas,  
Sylva gerit frondes, ejecat litus arenas.*

Scribis pag. 723. *Savè miror cùm in domum Augustini vita intro, intro autem cogitatione, & animo, & af-  
fectu, in se semper ibi habitu*. Habitas apud Augusti-  
num tanquam hospes in diversorio, non tanquam fa-  
miliaris in penetralibus. Si in Augustini domu intras, prolecto eundem hesternâ die baptizatum, ac recentissimum Neophytum, in veste candidâ, ipso so-  
lemni die Paschali, domo abstractum, ad iter Romanum  
versus celerrimè capessendum, non impulisses. Hoc somnium legibus nuperis Neophytis ab Ecclesia im-  
positis, repugnans, totius tui Itinerarii unicum funda-  
mentum est, nec ullâ erte abs te sustineri potest, nisi si  
iterum somnies novum ac uni tibi notum diploma Si-  
ricii Papæ, qui Augustinum ac socios Neophytes  
Christianâ lege solvendos censuerit, quod iter in Afri-  
cam quam citissimè maturarent. Num apud Mediolanum in Augustini domum intrasti, quando, ut postea  
scriptis lib. 9. Confess. cap. 8. jam baptizatus cum  
Eudio ibidem habitabat! *Qui habitare, inquit, facis  
unanimis in domo, consociasti nobis & Evidium juvenem  
ex nostro municipio, &c. Simul eramus, simul habita-  
bamus, placito sancto. Quærebamus quisnam locus nos  
utilius haberet, servientes tibi, pariter remebaramus in  
Africam*. Augustinus prænarrato suo baptismo, scri-  
bit Evidium in contubernium Mediolani secum ve-  
nisse, ac unanimis in domo habitasse placito sancto, ante-  
quam iter in Africanum susciperent. Tu vero Augu-  
stini paucis post baptismum horis domo extrahis,  
magnis itineribus Romanum & Ostiam trabis. Ne, quæ-  
so, tergiverseris; actutum edissere qui semper ibi ha-  
bitas, num quando in domum Augustini apud Mediolanum intras, Evidium ac reliquos ejusdem contu-  
bernales ibidem videas, vel potius cùm die Paschatis,  
nondum orto sole, ad Augustini domum pergis,

— obscuraque limina porta,

*Qua gressum extulerat, repetis:*

vacuum Afris hospitibus ædem spectans, lecto super  
postes titulo: *EST LOCANDA*, discedas: Res-  
pondes pag. 632. in fine col. 1. *Hinc vivendi rationem,*  
*quam Catechumenus Augustinus inchoaverat, CONTI-  
NUAVIT POST BAPTISMUM MEDIOOLANI*, ut  
scribit lib. 9. cap. 8. *Simul eramus, simul habitabamus* in

Virg. 2.  
Æneid.

in placito sonoro. Quærebam⁹ quisnam locus nos  
arilius haberet servientes tibi. Pariter remeabamus  
in Africam. Comitem⁹ Augustinum, & inspiciam⁹,  
quomodo pitterit in Africa. Necesse parumper moras;  
paucis te Mediolani convenio, priusquam illinc re-  
met in Africam proripias. Si Augustinus illam vi-  
vendi rationem continuavit post baptismum Mediolani,  
jam sateris Augustinum post baptismum, aliquot sal-  
tem dies Mediolani substituisse, ac proinde somnias  
in Itinerario S. Doctorem A. 388. die 8. Aprilis Sab-  
bato sancto Mediolani baptizatum, infrequenti die  
nonā Paschalis solemnitas, statim Mediolan⁹ o Romam  
versus discessisse. Tertullianus in lib. de Anima cap.  
46. ait: Homerius duas portas divisit somni⁹; cornēam  
veritatis: fallaci⁹ eburneam. Ex Odys. lib. 19. Virgi-  
lius in fine VI. Aeneid.

Sunt geminae somni portæ: quarum altera fertur  
Cornea, quā veris facilis datur exitus umbris;  
Alterā carenti perfecta nitens elephanto;

Sed falsa ad celum mittunt insomnia Mares.

Cum dixisti Augustinum altera à suscep⁹ baptisata-  
re die, Mediolano evolasse, hanc sanc⁹ ibidem in do-  
mum Augustini intrasti; sed ex eburneā portā falsa ac  
fallacia insomnia emissa, in mentis tuae domum in-

trarunt, quibus deceptus, ac delusus, tam procul ab  
Augustini apud Mediolanum domo, per spatia ima-  
ginaria peregrinabare, at im posterum non mode  
XXXXX. librorum Author, verū etiam quinquaginta  
Somniorum Fictor clueas. Quis te malus genius dece-  
pit, ut tam fabulosum Itinerarium somniæ, ac epi-  
taphii, quod te jam senem decrepitudine manet, elogia  
tot ridicula insomnia publicando, corrumperes? Scri-  
bis in hoc ipso tuo libro pag. 433. col. 2. Cū The-  
ologia studia inchoarem Conimbricæ inter Patres Jesuitas  
anno 1615. Hinc anno ætatis tuae nonagesimo, quā  
octogesimo proximior videris, ut magis te deceat de  
vitæ tuae itinere claudendo, quā de Augustini Iti-  
nerario describendo cogitare. Evidē & piget &  
puder me bonas aliquot horas in tuis somniis excuti-  
endis perdidisse; quamvis, ut Seneca verbis utar  
Epist. 76. Ego tan⁹ hic aliquid & doceo. Quaris quid  
doceam? Etiam seni esse discendum. In indice librorum,  
quos S. Gelasius Papa prescrivit, legimus: Itinerarium  
Petri Apostoli apocryphum. Haud falsè sperem fore ut  
quicunque Itinerarii tui Somnia intellexerit, idem  
hoc stigmate dignum judicet: ITINERARIUM  
Augustini post baptismum Mediolano Romanum APO-  
CRYPHUM.

## F I N I S.

